This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

8845

By Fr. Luke Wadding (1588 – 1657)
Franciscan of Waterford Ireland.
President of the Irish College, Salamanca.
Founder of St. Isidore's College, Rome.
Instigated Irish Rebellion of 1641.
Rome, 1655.

For notes by [illegible]

Digitized by Google

# IMMACVLATAE CONCEPTIONI B. MARIAE VIRGINIS

Non aduersari eius mortem corporalem.

OPVSCVLVM

*AVTHOR FR. LVCAS VVADDINGVS ORDINIS MINORVM.*

ROMÆ; Apud Nicolaum Angelum Tinassium: MDCLV.

*Superiorum permissu.*

Digitized by Google




Digitized by Google



# PHILIPPO IV.

## HISPANIARVM,

## ET NOVI ORBIS MONARCHAE.



*REX CATHOLICE*



EX re veteri facio nouam, dum opellam à me olim compositam, hactenus in scrinio repositam, nunc in conspectum produco. PHILIPPVS III. Te filio dignus pater, constanti

pietate Princeps, Antonium à Trejo, ex supremo Ordinis Minorum Præfecto Episcopum Carthaginensem, ad Paulum V. Pont. Max. pro munienda & stabilienda doctrina de B. Mariæ Virginis Immaculata Conceptione misit Oratorem. Is porro nullum prętermittebat studium integrè subeundæ Legationis, quæcumque impedimenta procul faciens, adiumenta vndique conquirens. Obijciebantur ex aduerso aliquot non aspernendæ difficultates. Vna illa, neque infima, desumpta ex Sacratissimæ Virginis morte, *quæ dum peccatum dicitur, quia ex peccato facta est*, consequi videbatur, vel Mariam peccato noxi[illegible] [illegible]eatus merito

Aug. conc. 2 in Ps. 34.

hac

hâc pœna punitam; vel Deum iniustum fore, qui innoxiæ creaturæ graue hoc intulerit supplicium. Id mihi, Studiorum Oratoris participi, iniunctum, vt implexum satis dubium enodarem, quod nunc in istum modum præstiti, quo nunc Tibi conspiciendum exhibeo. Is fuit Tui Genitoris erga Dei Genitricem ardor affectus (quem in te vtique transfudit) vt nullo vmquam tempore exagitari aut studiosè impeti senserit probabilem, piamq; de Immaculato Virginis conceptu sententiam, quin statim tutelares innocentiæ maternæ, Christi filij Vicarios aduocarit. Quoties aduersus hoc sacrum mysterium quidquam pensitatum est, toties

Pater,

Digitized by Google

Pater & Filius occurrerunt, defenſuri, à qua defendi ſperamus, noſtri generis aduocatam. Veſtra vtique in hac re pietas, ſemper ſollicitior, quando turbatur, effecit, vt inter aduerſitates proſperaretur, & impugnata ſemper creſceret pia hæc, iam vbique recepta, doctrina. Perge itaque Catholice Princeps, & Te, Tuaque in tot anguſtijs defendentem, qua ſoles, pietate defende.

Pro Tua Catholica Maieſtate.



Humilis, & deuotus Orator

*Fr. Lucas Vvaddingus.*

So-

Digitized by Google

SOlidæ pietatis & doctrinæ opusculum hoc à præfixo Authoris nomine abunde commendatur. Nihil est in eo Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduersum, quinimo omnia laude, & luce sunt dignissima. Ita testamur in Collegio Romano S. Isidori FFr. Minor. Hibernorum die 4. Iunij 1655.

*Fr. Franciscus Haroldus Sacræ Theolog. Lector.*

*Fr. Maurus Matthæus Sacræ Theologiæ Lector.*



PLacet vt opusculum hoc de morte B. Mariæ Virginis à Reu. Admod. P. Fr. Luca Vvaddingo compositum, à doctisque viris nostri Collegij S. Isidori approbatum, seruatis seruandis, typis committatur. Datum apud Aram-cœli 6. Iunij 1655.

*Fr. Martinus Diest Procurator generalis Ordinis.*

VTRVM

Digitized by Google




Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro S. Palatij Apoſtolici.

*M. A. Oddus Viceſgerens.*

*Imprimatur,*

Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſt. Ordinis Prædicatorum.






Digitized by Google

# VTRVM IMMACVLATAE CONCEPTIONI B. MARIAE VIRGINIS ADVERSETVR EIVS MORS CORPORALIS?

## PROOEMIVM.

1. VSSVS, vt meum dicerem, & aliorum sensum inquirerem circa mortẽ Beatissimę Virginis Deiparæ, vnde scilicet sacrosancti illius plasmatis solutio contigerit, an ex peccati supplicio, an à sequela naturæ? malui aliquid, etsi humile, in quæstione non humili exarare, quam in obsequendo tardioris, & erga præcipientem immemoris notam



Digitized by Google

incurrerem. Cuperem certe ipſum in tanto dubio ducem habere, & prius audire, quid ipſe interrogatus diceret, quam temerè reſpondendo præire: ita enim facilius ſequerer, breuiuſque illius confirmarem ſententiam, quam meam inter tot aliorum placita fluctuantem, Doctorum ſtitiſſem iudicio. At mea erga illum reuerentia, & gratitudo perſuadent, vt eius potius obſequi mandatis, quam aliorum ſtudeam declinare cenſuras. Iam obſequor, & ad faciliorem in graui quæſtione proceſſum rem omnem per diuerſa capita diſtinguo.

*Quam certum ſit humanam mortem peccati eſſe ſupplicium?*

*Cap. I.*

Athan. li. 3. contra Arrian.

1 ON impropriè vocauit Athanaſius mortem *peccati aſſeclam*, quaſi transgreſſionis ſit ſequela, nec preuaricationem anteceſſerit, ſed ſe qua-


Digitized by Google

quatur. Verè etenim in fælicissimo illo rerum statu, in quo primi cōditi sunt parētes, plena erat vitę securitas, nullū interius, nullū exterius mortis obeundę periculū. Sola erat peccati rimula, per quam mors ingrederetur; nec aliàs cauere iussit Dominus mortis insidias, quando nouos Paradisi colonos instruxit, quam vt vnum à se impositum pręceptum, obseruatu facile custodirent, quando concessis in escam omnibus lignis pomiferis, solam eam tangi vetuit arborem scientiæ boni & mali, ad cuius esum mors præ foribus adesset, nec haberent vnde dissoluendi corporis necessitatem euaderent. *Ex omni*, inquit, *ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Violati ergo præcepti comminatio ostendit aliunde à morte securos, nec vita functuros nostri generis duces, nisi obe-

*A peccato cœpit mors*

Gen. 2. 17

dientiæ limites transilirent. Sed vt serpenti decipienti, magis quã Domino comminanti, crediderunt, senserunt iustas inobedientiæ poenas, sitim, esuriem, frigus, æstum, & sui corporis mortalitatem, quas tamen nisi peccassent, nequaquam aliunde sentirent. Hinc solum Apostolus omnem Adami stirpem mortem inuasisse testatur. *Per vnũ*, inquit, *hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Et paulò inferius. *Vnius delicto mors regnauit*, & *regnauit peccatum in mortem* Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors*. Rom. 8. & 10. *Corpus propter peccatum mortuum est*. Et alibi pluries necessariam hanc nostram fidem inculcat.

Rom. 5. 12.

Ibid. 17.

Ibid. 21.

2 Eandem statuit Ecclesia doctrinam contra Pelagianos, qui hominem mortalem creatum docebant, astruentes Adamum etiam

in

Digitized by Google

in statu innocentiæ ineuitabiliter ex suæ naturæ conditione moriturum. Assertionem hanc hæreticam esse docet. Concil. Mileuitan. his verbis. *Quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Concil. Mileuit. can. I.

3 Constans etiam est Sanctorum Patrum sententia, non gustaturum Adamum mortem, nisi prius gustaret, vnde periret. *Propter transgressionẽ primi hominis,* inquit Cyril. *corruptio genus nostrum inuasit.* Et alibi. *Progenitor Adam peccati stipendium, præuaricationisq; successionem, corruptionem obtinuit.* Theodoretus, Cyrilli synchronos, interlocutoriè disputans. *Peccatum,* inquit, *mortem introduxit. An non mortem supplicium esse putas?* Et respondet. *Hoc diuina docet Scriptura: Ab ea enim discimus, quod cùm*

Cyril. Alex. li. I in Ioan.

Idem li. I in Genes. ad fin.

Theodo. dialog. 3. ad princ. to. 2.



Digitized by Google

*Deus Adæ prohibuisset, ne cognitionis arboris esset particeps, subiunxit. Qua autem die ex ipso comederitis, morte moriemini. Mors ergo eorum, qui peccauerunt, pœna est.* Et infra. *Peccatum quidem mortis mater est; eius autem pater diabolus.* Augustinus. *Si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate, & incorruptione, vt absorberetur mortale à vita, id est ab animali in spirituale transiret.* Et cap.4. hoc idem ex illa deducit Pauli doctrina. [a] *Corpus quidem mortuum est propter peccatum;* quam adeo manifestam iudicat, vt statim subiungat. *Puto, quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara, & aperta sententia. Corpus,* inquit Apostolus, *mortuum est, non propter fragilitatem terrenam, quia de terra puluere factum est, sed propter peccatum. Quid amplius quærimus?* Et cap.6. eundem versans locum ait. *Mirum si ali-*

Aug. li.1 de peccator. & remiss. c. 2.

a Rom.8.

quid

*quid quaritur hac manifestatione liquidius. Cum dixit Apostolus, corpus mortuum propter peccatum, quid aliud quàm merito peccati intelligere debemus, aut possumus, si apertissimum scriptura sensum non pro arbitrio peruertere, ac detorquere conamur?* Ipsum etiam *mortis* vocabulum suam indicare docet originem. *Mors*, inquit, *à morsu nomen accepit, quia generi humano morsu antiqui serpentis acciderat.* Et li.4. contra Iulian. c. 16. loquens de ijs miserijs, cruciatibus, & doloribus, quibus grauatur iugum super filios Adam à die exitus de ventris matris eorum, vsque in diem sepulturæ, subiungit. *Quid igitur restat, nisi vt causa istorum malorum sit, aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec iniustus, nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod graue iugum super filios Adam à die*

Aug. ser. 101. de temp. & author. li. 1. Hypog nost. c. 4.

*exitus de ventre matris eorum, vsq;*
Eccl. 40. *in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.* Et conc. 2. in Psal. 34. ait, mortem ab Apostolo Rom. 8. *Ipsum dici peccatum, quia peccato facta est.* Multus est in hac re Augustinns, nec quippiam anxius inculcat, nec acrius perurget, nec aliunde vrgentius sumit vndique contra Pelagianos argumentum, vt probet in omnes homines diffusum primæ transgressionis reatum. Ipsa illius loca vel citare si vellem, tædium parerem, toties vbiq; fundatissimam hanc commendat doctrinam. Videndus præcipuè lib. 13. de Ciuit. Dei. vbi per omnia ferme capita hanc nostræ mortis causam assignat. Ipsam eandem affert Chrisost. hom. 17. in Genes. in ser. de interdictione arboris, in homil. de lapsu primi hominis; & ser. de eod. Et Beda mille in locis mutuatus,

Au-

Digitized by Google

Augustini doctrinam, ac verba, præcipuè in c.5. ad Rom. Bernard. in sermone ad milités templi; & omnes orthodoxi Ecclesię Doctores, vt vno verbo omnes comprehendam, nec enim cum Ecclesia sentit, qui aliter sentit, nec Catholicus est, qui catholicam hanc de transfusione mortis per peccatum non admittit doctrinam. Videri possunt Doctores Scholastici ad dist. 19. li. 2. Magistri sent. Et ad primam par. D. Tho. q. 79. Et 1. 2. q. 75. ar. 5.

*Quomodo peccatum sit mortis causa, & an aliundè quàm à peccato sint homines mortales?*
*Cap. 2.*

4 IN re certa illud est incertum, quomodo peccatum, quod absque dubio mortis causam esse statuimus, mortem causauerit?

rit?

rit? Et an hoc solum sit in homi-
nibus mortalitatis principium?
Vtriusq; autem huius dubij deci-
sionem ab ipsa hominis creatione
reor esse desumendam: ipsa ete-
nim plasmatis constitutio docebit
aperte, an sua soliditate firma con-
stare potuerit, an aliundè necesse
erat, vt liberararetur à morte? & an
vniuersale illud humani generis
crimen propriè generarit interi-
tum, vel solum remouerit, aut re-
moueri meruerit, per quod defen-
deremur à morte. Clara autem,
& expressa est in eloquio diuino
hominis structura ex limo terræ, &
spiraculo vitæ, per quod factus est
in animam viuentem. Naturalis
hæc est hominis compositio, sed
ex partibus naturaliter contrarijs;
modica enim spiritus cum terrena
substantia conuentio, & immorta-
lis animæ cum mortali corpore
exigua concordia. Sed & ipsum
corpus ex contrarijs coaluit, ex hu-
more

*Homo cō-stitutus ex contrariis.*

Digitized by Google

more radicali, & calore naturali ſe mutuo depaſcentibus, & ex principijs elementaribus, ſibi inuicem aduerſantibus, ita vt ex ſua compagine certæ corruptionis obtinuuerit cauſam, & niſi aliundè conſeruaretur, ex congenita ſuarum partium pugna habuerit, vnde ad terram, fragilis ſuæ ſtructurę rediret originem.

At litem hanc optimus rerum opifex prudentiſſimè diremit, eas tribuendo homini virtutes, & ſuperexcellentes qualitates, per quas inferiores partes in debita contineret ſubiectione, & corpus ad rectę rationis regulas in cunctis moderaretur operibus. Præparauit etiam contra corporis defectiones naturaliter ſequendas ad actiones, & repaſſiones contrariarum qualitatum, myſterioſam, & ſalutiferam medicinam, lignum videlicet vitæ *per quod*, vt ait Aug. *à mortis neceſſitate prohibebatur, atq; in iuuen-*

*Eius trãquillitas, & ſecuritas in ſtatu innocẽtia.*

Aug. 13. ciui. c. 23.

*uentutis flore tenebatur*. Lignum enim hoc, vt ait Beda, *diuinitus acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius stabili sanitate firmaretur; ne vel ætate in deterius, vel infirmitate in occasum dilaberetur*. An autem virtus hæc in illius arboris fructu naturalis, an supernaturalis fuerit, alijs relinquo largius disputandum. Ego obiter affirmauerim probabilius dici naturalem, quod & clarius innuerunt Strabus[a], Hugo[b], Victorinus, & D. Thomas[c], quos sequitur Pererius[d]. Præter hæc ad deperditi humoris, vel vigoris refectionem omnes Paradisi fructus præter vnius interdictæ arboris *scientiæ* (non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum puræ, & simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ, sub creatore Domino constitutæ) hominibus contulit in cibos, *quibus alebantur*, inquit Aug.

Beda in c. 2. Genes.

a Strab. in Genes. c. 12.
b Hug. in Gen. c. 7.
c Tho. 1. p. q. 97. a. vlt.
d Perer. l. 3. in Gen. q. 4. ad c. 3. vers. 9.

Aug. cita. c. 20.

*ne*

Digitized by Google

*ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent.* Contra pericula, quæ ab extrinseco poterant oriri, & contra malorum angelorum inuidiam habuit, vt asserit D. Tho. bonorum angelorum custodiam; seu peculiarem, vt habet Scotus, Dei protectionem. Non paterentur ergò primi parentes in foelicissimo illo statu aliquod periculum ab intrinseco, quorum omnes interiores partes donis iustitiæ originalis, ab omni deordinatione erant alienæ; neq; ab extrinseco, dum mitissima animalia eorum regerentur imperio: homines non se peterent hostiliter, quorum status innocens nocentes esse non compateretur, & dæmonum insidiæ, & periculosi casus à protegente Deo, vel custodientibus Angelis prouide præcauerentur. *Summam eis addidit pacē,* inquit Bernard. *manus benignissima creatoris. Pacem vtiq; duplicem,*

Tho. 1. p. q. 13. ar. 4 ad 2.

Sco. in 2. d. 19. qu. vnic. ar. fin.

Vide August. lib. 14. de ciuitat. c. 26

Bernar. ser. 2. de Annunc. B. Virg.

*vt*

*ut nec intùs pugna, nec foris timores, id est, nec caro concupisceret aduersus spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini.*

*Potuit mori, & non mori.*

5 Tot, ac tantis remedijs preseruatiuis ipse terreni corporis figulus, qui probè cognouit figmentum nostrum, humanam voluit stabilire naturam, ne suæ relicta fragilitati, ad terram, ex qua sumpta est, corrupta rediret. Ex intrinsecis, & constituentibus principijs ad interitum tenderet, nisi ex Dei donis, & multiplici benignitate præseruaretur. Proinde dixit optimè Magister sententiarum, & paulo ante eum Hugo Victorinus, in primo illo statu *habuisse hominem posse mori, & posse non mori, quia habuit corpus animale, egens alimonijs ciborum; unde & homo factus dicitur in animam viuentem, non spiritualem, id est in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, non spirituale, quod egebat*

Magist. in 2. di. 19. §. 1.
Hugo citat. lib. 1. eruditio. Theolog. p. 7. c. 18.

cibis,

*cibis, vt per animam viueret. Factus est ergo in animam viuentem, id est vitam corpori dantem, tamen per sustentamenta ciborum, & tunc erat corpus mortale, quia poterat mori, & poterat non mori.* Vtique erat homo mortalis à conditione naturæ, sed immortalis ab extrinseco dono diuino. Clarè rem expressit August. *Quodammodo, inquit, creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. Non enim immortale erat, quod omninò mori non posset, quod non erit nisi cum fuerit spirituale.* Cui concordat author (etsi aliundè mihi suspectus) quæstionum veteris, & noui testamenti apud eundem Augustinum in appendice tomi 4. *Corpus, inquit, Adæ tale non erat, quod dissolui impossibile videretur: sed gustus arboris vitæ corruptionem corporis*

Aug. li. 6. de Gen. ad litt. c. 25.

Aut. lib. qq. vet. et noui test. c 29.

*ris inhibebat. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget cibo, neq; potu. Cibus enim vires præstabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat.* Cibi ergo, & alimenta vitam fouebant; & arbor vitæ producebat in longum, neq; enim sine illis potuit homo simpliciter viuere, aut sine illa per plura sęcula consistere. Meritò proinde condemnarũt Pius V. & Gregor. XIII. illam Michaelis Baij propositionem 75. qua dicebat immortalitatem primi hominis non fuisse gratiæ beneficium, sed naturalem conditionem.

*An aliqua animæ virtute reddebatur immortalis.*

6 Verùm D. Thomas non tam arboris vitæ fructu, quàm supernaturali quadam animæ virtute Adamum in illo statu à morte defendendum docet. Verba eius sunt. *Corpus Adæ non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem,*

*gorem, in eo existentem; sed inerat animę vis quadam supernaturaliter diuinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeseruare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset; quod rationabiliter factum est; quia enim anima rationalis excedit proportinē corporalis materiae, conueiens fuit, vt in principio virtus ei daretur, per quam corpus conseruare posset supra naturam corporalis materiae.* Sed de hac virtute non immeritò ambigit Scotus & post eum non pauci, inter quos Perer. videri ait, vel illam virtutem, vel arborem vitæ esse superuacaneam. Arborem verò munus hoc incorruptionis plenè præstituram, vel ex ipso cognomine colligere licebit, propterea nanq; *vitae arbor* dicebatur, vt ex alijs obseruauit Cornel. à Lapide, quia vitam seruabat, prorogabat, reddebatque perpetuam, donec animale corpus fieret spirituale, & quod ex intrinsecis

Tho. 1. p. q. 97. a. 1. corp.

Scot. cit. Perer. cit. p. 3.

*An vero ab arbore vitae?*

Cornel. in Genes. c. 2. vers. 9. concl. 12.

B prin-

principijs erat mortale, *transiret in spiritualem immortalemq; statum*, vt inquit Fulgentius; *nisi mortem corporis animalis peccando meruisset*. Nec obscurè hoc docet ipsa diuina Scriptura, dum iam donis omnibus supernaturalibus, quale erat illa assignata animæ virtus, spoliatum miserum paradisi colonum, propterea eo loco pellendum Dominus dixit, *ne fortè mitteret manum suam, & sumeret etiam de ligno vitæ, & comederet, & viueret in æternum*. Namq; etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, vt inquit author quæstionum vet. & noui test. apud Aug. si modò permissum esset illi edere de arbore vitæ. Eamq; ob causam *collocauit Dominus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatilē ad custodiendam scilicet viam ligni vitæ*, non quia eam ei arborem inuidit, vt stultè, & impiè obiecit Julianus; sed

Fulg. li. 1 de incar. & gratia Christi c. 12.

Gen. 3.

Author. qq vet. & noui test. cit.

Julian. apud Cyril. Alex. li. 3. cont. eund.

ſed vt cõmiſſi criminis pęnam iam ſtatutam acciperet per mortem, & in ipſa hac pęna Dei ſentiret miſericordiam, vt acutè dixerunt Ireneus, & Epiphan. ne perſeueraret ſemper tranſgreſſor, neq; immortale eſſet, quod eſſet circà eum, peccatum, & malum fieret interminabile, & inſanabile. Iren.li.3. adu. hæres. c.37. Epiphan hęr.64.c. *Qua quidem.*

7 Dubitari ergo non poteſt eã ſtatus innocentiæ immortalitatem, & vitæ perpetuitatem, donec in meliorem ſuo tempore, neceſſaria iam genita prole, tranferretur Adamus, ei conferendam eſſe per illam arborem, per quam, inquit Aug. *mirabili Dei gratia præſtabatur, vt ſenio non veteraſceret, vt neceſſitate perduceretur ad mortem*; & non per illam vim animæ, per quam fatetur Scotus ſe nequaquam videre, quomodo tribui poſſit corpori, quod non patiatur à contrario. Nec certè, vt citatus inquit Perer. facilè eſt intellectu, Aug.l.13. de Ciu.c. 20.

quomodo illa virtus spiritualis animæ posset adeò perfectè in corpus agere, illudque ex contrarijs qualitatibus compactum, à corruptione semper seruare. Neque aliam aduersus Scoti obiectionem rationem excogitare potuit Caiet. quam dicere hoc pertinere ad credibilia, quæ ex facto, & supernaturali virtute pendet, de quibus nulla maior est ratio, quàm authoritas diuina per se, vel per suos sanctos patefacta. Et propterea, inquit, Augustini authoritas, quam S.Th. citat in corpore, & in qua dicitur, quod *ipse homo sibi esset author vitæ*, debuit Scoto sufficere, vt ex illa animæ virtute crederet corporis prodeundam immortalitatem. At præterquã quod illa, quã statuimus, sententia expresè habeatur in sacra scriptura, illa verba, quæ citat Caietanus, obseruatum est Augustini non esse, sed incogniti authoris libri quæstionum

Caiet. ad cit. locũ D.Tho.

num

num vet. & noui testamenti ipso illo loco, quem supra citauimus; nec illum, quem voluisse D. Thomam iudicat Caietanus, sensum efficiũt. Integrum refero eius responsum, ad hoc interrogatum. *An videlicet Adam corpus immortale habuit, an mortale?* Et subdit: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi author esset ad vitam, aut ad mortem: vt custodiens se à peccato labore suo gauderet, & esse se immortalem: negligens verò factus, ipse sibi imputaret, quia cœperat esse mortalis.* Vbi quæso in his verbis illa vis animæ, per quam corpus redderetur immortale? an in ijs, *vt ipse sibi author esset ad vitam?* sed adiungit *aut ad mortem*; & immediatè explicat, qua ratione posset sibi author esse vitæ, non quia in se principium indefectibilis habebat vitæ; *sed quia quamdiu*, inquit, *in creatoris lege durauit, di-*

*gnus fuit edere de arbore vitæ, vt mori non posset*. Propterea ergo dixit hic Doctor, quod Adamus sibi vitæ author foret, quia per Dei gratiam, & auxilia potuit sibi cauere à peccato, quod iuxta diuinam comminationem absq; dubio mortem inferret, & similiter mortis sibi causa fuit, non obseruando, quod lex diuina præcepit.

*Qua ratione dicitur peccatum causa mortis?*

8 Ex his ergo statuitur, & tanquam certum ad principalis dubij solutionem supponitur, Adam consideratum secundùm sua principia naturalia mori potuisse, & corruptioni fuisse obnoxium, non tamen moriturum, nec corrumpendum, dum præseruatiua illa haberet extrinseca, eiq; liceret de vitæ arbore, vel semel, vt cum quibusdam sentit Bellarmin. [a] vel pluries quoties opus erat ad integras vitæ vires reparandas, vt cum Scoto, Duran. & Caietano docet [b] Abulen. quantum necesse erat, man-

a Bellar. l. de gra. pri. hom. c. 15.
b Abul. in ca. 13. Gē. quęst. 124 & 168

duca-

ducare. Potuit, inquit Scotus, homo ſtante ſtatu innocentiæ mori; iſta tamen potentia non fuiſſet reducta ad actum, quia mortem arcebat eſus ligni vitæ. Proinde igitur dicitur peccatũ cauſa mortis, quia remouit prohibens mortem, & demeruit homo peccans, vt illis potiretur donis, quæ dum iuſtus erat, accepit. Fecit peccatum, vt donis ſpoliaretur homo diuinis, & principijs relinqueretur humanis, vt ab his ineuitabilem attraheret mortem, qui ab illis indefectibilem acciperet vitam. Eo prorſus die, quo cibum interdictum mortiferumq; noſtri ſumpſerunt parentes, *à ligno vitæ ſeparatione iuſtiſſima*, inquit Auguſtin. *mortis in eis corporalis neceſſitas facta eſt*, per quod experti ſunt veritatem comminatoriȩ ſententiȩ diuinȩ: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. ſeu *mortalis eris*, vt optimè vertiſſe Symachum

Scotus cit.

Aug.li.13 de Ciuit. Dei c.23. Vid. eũd. l.11. de Geneſ.ad lit. c.32. Hyer.lib. tradit.Hebr.in Gẽ.



Digitized by Google

commendat Hieronymus. Nam licet eodem die nõ fuerint prorsus à corpore soluti, mortales euaserunt, non solum potentia naturali moriendi, quam etiam in statu innocentiæ ex naturali habebant constitutione, sed & ineuitabili necessitate moriendi, quàm iam spoliati, & sibi ipsis relicti, culpabiliter contraxerant. Illo die mortui sunt, quia illo die mori cęperunt; ad eum modum, quo nos quotidie mori dicimur, & primæ natiuitatis horam, primã esse mortis notauit Sapiens, dum dixit. *Nos*
Sap. 5. 13 *nati continuo desinimus esse.* Et Thecuitis fęmina Dauidi intimauit:
2. Reg. 14. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertuntur.* Quot enim vitæ dies elabuntur, tot currimus ad mortem, nec reuertuntur defluentes horæ ad vitæ mensuram, sed præterlabũtur ad mortis approximationẽ. Eleganter, & acutè Tragicus.

*Parce*

Digitized by Google

*Parce venturis, tibi mors paramur;* Senec. in Herc.fur. Act.3.
*Sis licet segnis, properamus ipsi:*
*Prima, quæ vitam dedit hora, carpit.*

9 Causa ergo moralis & demeritoria mortis peccatum est, & veluti conditio, sine qua non suam fragilitatem homines ipsa corruptione sentirent. Causa ergo naturalis & efficiens (si mors, quæ solum priuatio est vitæ, efficienter fieri dicatur) est ipsa protoplastæ naturæ ex contrarijs constitutio. Propterea dixit D.Thom. mortem esse naturalem propter conditionẽ materiæ humani corporis, & poenalem propter amissionem diuini beneficij, præseruantis à morte. Similem habet alibi doctrinam, duas assignans mortis causas, vnam ex parte principiorum materialiũ humani corporis, ex contrarijs cõpositi; alteram peccatum, per quod sublatum est mortis impedimentũ. Et in epist. ad Hebr. ait, quod secundum causam naturalem, & ex con-

*Duplex mortis causa.*

Tho. 22. q.164.a.1 ad 1.

Idem 3.p. q.14,a.3. ad 2.

Idẽ lect. 5. in c. 9. ad Hebr.

conditione naturæ ſtatutum eſt hominem ſemel mori, in quantum componitur ex contrarijs, & quod Adã ex merito mortis meruit peccando illud beneficium perdere; per quod liberaretur à morte, ſi non peccaret. Rem apto declarauit exemplo Robert. Holcoth. his verbis: Dicendũ, quod mors eſt homini naturalis, & tamen poena inflicta: ſicut ſi dominus daret ſeruo ſuo originarie libertatem, & poſteà propter ingratitudinem ſuam priuaret eum tali libertate, tunc ſeruitus foret illi & pęnalis & naturalis. Creant ergo parentes mortales filios mortales, & mortalitatem generatione transfundunt, quæ licet deſtitutæ ſit ſequela naturæ, eſt etiam & commiſſi poena peccati.

Holcoth. in Sap. c. 4. lect. 43.

An

## *An B. Virgo mortem obierit ob Originale peccatum actu contractũ?* Cap. III.

10 TATVTA hac de pecti pæna doctrina, causam Virgineę mortis inquirimus, an videlicet meruerit propter peccatum vita priuari? Licet autem, vt Aug. docet, tam per actualem, quam originalem reatum mors possit incurri, solum originalẽ in Virginis morte rimamur, ab omni enim vel leui veniali peccato immunem fuisse, firmiter tenet Ecclesia. At quia non vno modo à diuersis cõtenditur eã originaliter pecccasse, dum sint qui actu peccatum contraxisse dicant; alij vero affirment solum in Adamo (*in quo vno fuimus omnes, quando omnes*, inquit August. *fuimus ille vnus*) peccasse, iuxta vtramq; sensum diuisim nostra procedet inuestigatio. Proinde hic interrogamus

Aug. ep. ad Euodium.

Con. Tri. sess. 6. canon. 26.

Aug. 13. de Ciuit. c. 14.

Digitized by Google

mus, an quia actualiter contraxerit maculam peccati originalis, mortem sustulerit in pænam?

11 Affirmant, qui originali peccato infectam contendunt, nam vt conceptum reddant culpabilem, vitam terminasse volunt sub culpæ supplicio. Hinc enim non inefficax, vt iudicant, argumentum deducunt, dũ mortẽ in omnibus poenã esse peccati SS. Patres ex Scriptura demõstrãt. Constãs est ista sequela: Vbi pęna, ibi & meritũ pęnę; & qui cõmunicauit supplicio, communicauit & culpæ. Ita dilucidè argumentatus est August. vel qui authour est libri de prædestinatione & gratia c. 3. *Quia* inquit, *in omnes homines mors pertransijt, in omnes necesse est pertransisse peccatum. Peccatum quomodo cum paruulis originale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia vero ex Adam omnes carnaliter natos, & si illi iam etiam, qui in Christo renati sunt, vi-*

Bandel. tract. 2. de Concept. c. 4. Caiet opusc. de Concept. c. 3. paulo ante fin. & alij.

*Nõ infligitur pęna sine propria culpa.*

August.

*videmus mortis lege constringi, per hoc quod videmus semper paruulos mori, cogimur confiteri semper paruulos nasci cum peccato originali. Facilius enim fieri posset, ut quamuis transeunte peccato, poena minime sequeretur, quàm ut nulla communicatione peccati partem sumat poena, qui non habet culpæ.* Latentem culpam docet S. Doctor, per manifestam pęnam ostendi, & argumentum esse euidens, quantumuis occulti, peccati, passionem illati supplicij. Idem docuit Prosper, Augustini discipulus. *Patet,* inquit, *culpa, ubi non latet pęna; & societas peccati conuincitur de communione supplicij, ut quod est humana miseriæ non de institutione creatoris, sed de retributione sit iudicis.* Et lib. de ingratis contra Pelagianos c. 40. hoc metro corporis afflictionem docet animæ pręcedere vulnus.

Prosper l. contra Collat. c. 25.

*Nemo etenim, nemo est, qui non cum vulnere primi*

*Sit*

*Sit patris genitus; quo vulnere mẽs prius intùs*
*Percussa est, quam membra foris.*

Fulgent. Et Fulgent lib. de incarn. & gratia Christi c. 14. *Qua iustitia paruulus subijcitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum?* Quibus verbis infert ex Apostolo dicente *mortem esse stipendium peccati.* & rursus *peccatum aculeum mortis*, non pungi hominem morte nisi per aculeum peccati, & ad mortis stipendium meritum præcessisse stipendij.

Rom. 6.

*Ad Dei iustitiam pertinet nõ inferre mortem absq. culpa.*

12 Deinde ad rectam, & æquam Dei iustitiam iudicant pertinere non inferre grauissimum, & omnium terribilissimũ mortis supplicium absque proprio morientis delicto. Idque non difficile probatur ex frequenti Augustini doctrina. Oportunus est ille locus li. 1. operis imperfecti cõtra Iulian. iuxta recentem editionem, num. 47. in

August.

in quo Deum iniustitiæ, vel impotentiæ arguendum dicit, si paruulos, quos Iulianus omninò innocētes dicebat, morte puniret. *Si tibi*, inquit ad Iulian. *placet innocētia paruulorum, remoue ab eis si potes, graue iugum, quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum. Sed puto quod Scriptura, quæ hoc dixit, melius te nouerat quid esset innocentia creaturæ, & quid iustitia creatoris. Quis autem non videat si habent paruuli, qualem prædicas, innocentiam. Nisi fortè tibi in hac quæstione laboranti* Deus *iustus quidem videtur, sed infirmus, quodammodo, qui suis imaginibus ne innocētes graui iugo miseriæ premerētur, subuenire nō potuit, vt eū dicas voluisse quidem, quia iustus est, sed non potuisse quia omnipotens non est; atque ita de his angustijs exeas, vt fidei caput perdas, qua fide primitùs in symbolo confitemur, credere nos in Deum patrem omnipotentem. Deus*

igi-

*igitur tuus, vt tot ac tantis malis, quæ paruuli patiuntur, aut iustitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus. Quodlibet autem istorum dixeris, vide quid egeris.* Et num. 25. nocentiæ, & peccati in paruulis sufficiens testimonium esse indicat inflictas miserias. Et num. 49. postquam ostendit non esse tribuendas Dei infirmitati vel impotentiæ humanas vsque ad mortem ipsam miserias, qui eos si vellet, posset auertere, subiungit. *Iugum graue, quo premuntur filij Adam ex die natiuitatis suæ, procul dubio ab eis posset auferre, imò nec vllo modo illud imponeret, imponiuè permitteret, nisi peccata in eis, cum quibus nati sunt, inueniret. Si ergo te delectaret, diuina iustitia, videres profectò quod ex ipsa veniat non vtique iniustè à paruulis incipiens nota omnibus humana miseria, qua peragitur hæc*



Digitized by Google

*vita a primis fletibus nascentium vsque ad extremos halitus morientium*, Et lib. 6. contra Iulianum c. 4. ait *quod si peccata primorum parentum, quæ dicuntur aliena proprietate actionis, non etiam essent nostra contagione propaginis, profectò graue iugum super filios Adam nullo modo iustum esset* Et li. 5. contra eundem c. 3. *Si autem*, inquit, *non est hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna est, & iniustum facis* Deum, *quo iubente vel sinente; aut infirmum, quo non auertente, infligitur innocenti* Et lib. 4. ad Bonifaciũ c. 4. dicit: *Innocẽtes paruulos iniusto iudicio puniri, si ad eos ex Adam transit pœna sine culpa, & ex Adam trahũt mortem sine merito mortis*. Plura habet in hanc rem lib. de quantitate animæ c. 33. & in psal. 61. innumerisque in locis suæ doctrinæ.

13 Eius in hac re doctrinam sequutus est Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Christi c. 14. Fulgent.

*Hi inquit qui mortem ſolam, vt non etiam peccatum ex homine primo trãſiſſe in genus humanum nituntur aſſerere, mirum ſi non intelligunt quibus ſententiæ ſuæ laqueis obligentur. Primo quia Deum dicunt iniuſtum, quod mori faciat paruulos, quos nulla volunt iſti originalis peccati contagione pollutos, quoſque manifeſtè conſtat infantili ætate aliquid actualis peccati propria non poſſe voluntate contrahere, cum mortem ſtipendium Apoſtolus eſſe peccati definiat. Et cùm non ſit iniquitas apud* Deum, *qui fecit hominem ad imaginem ſuã, quę iuſtitia eſt, vt imago Dei, quæ nihil potuit per ſeipſam delinquere, ſi non redimatur ſanguine filij Dei, in regnum Dei non permittatur intrare?* Et paulo poſt. *Si ergo nolunt in ipſius Dei contumeliam mortifera impietate verſari, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte tranſmiſiſſe peccatum.* Et D. Proſper ſupra citatus lib. contra

Col-

Collat. *Si fortè dicatur in Adam posteros pœnam transisse, non culpam, omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè non dicitur. Nimis enim impium est hoc de Dei sentire iustitia, quod à præuaricatione liberos, cũ reis voluit esse damnatos.*

14 Conspirant in hanc sententiam qui catholicam stabiliunt cõtra Pelagianos de transfusione, & actuali contractione originalis peccati doctrinam. Sed & eam Ecclesia definiuit in Cõc. Arausicano 2. sub Felice Papa 4. c. 2. his verbis. *Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem est peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homi-* Rom. 5

*nes pertransÿt, in quo omnes peccauerunt*. Quam definitionem indicat Seuerinus Binius in notis ad prædictum Concil. desumpsisse Synodi Patres ex lib. 4. August. contra duas epistolas Pelagiani cap. 4. Clarius etiam hæc alijs in locis docet Aug. nec tamen ibi obscurè.

*Sola Christi mors absq; meritis culpa*

15 Tertiò, probari potest Virginis mortem propriæ, & contractæ contagionis fuisse supplicium, exinde quod à sanctis Patribus soli Christo mors innocua tribuitur, qui mala pęnæ absq; malis meritis culpæ lubens suscepit; & de fide ita credendum docuit Aug. li. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 35. *Teneamus*, inquit, *indeclinabilem fidei confessionem: solus vnus est, qui sine peccato natus est in similitudine carnis peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata: non declinemus in dexteram, aut in sinistram*. Et cap. 36. ait transire in

August.

om-

Digitized by Google

omnes proſcriptionem iniquitatis, & mortis, excepta vna in ſimilitudine carnis peccati. Et lib. 4. ad Bonifacium c. 4. inquit. *De vno ſolo mediatore Dei, & hominum homine Chriſto Ieſu, catholica fides nouit, quod pro nobis mortem, hoc eſt peccati pœnam, ſine peccato ſubire dignatus eſt. Sicut enim ſolus ideò factus eſt hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus, ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam.* Multa habet in hanc ſententiam li. 2. de peccato. merit. ca. 24. lib. 13. de Trinit. cap. 14. in pſal. 68. & 87.

16 Confirmarunt hanc Auguſtini doctrinam Petrus Diaconus & reliqui in cauſa fidei a Græcis ex Oriente Romam miſſi, in lib. de incar. & gratia Chriſti ad Fulgentium & alios Epiſcopos Africæ (qui habetur inter Fulgentij opera.) c. 6. *Adam*, inquiunt *ſerpentis* Græci Patres.

*astutia deprauatus sponte diuinæ legis preuaricator effectus est, & ideò secundùm quod ei prædictum fuerat, iusto iudicio Dei mortis pœna damnatur, totusque, id est secundum corpus & animam in deterius commutatus &c. Ex hoc nullus est hominũ, qui non huius peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati soluendum nouo generationis modo natus esset mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* His subscribit Prosper Aquitan.lib.de vita contemplatiua c.20 *Christus*, inquit, *solus sine peccato conceptus, culpam nostram suscipere non potuit; sed susceptione pœnæ nostræ culpam nostram aboleuit & pœnam, ille enim mortuus est peccato nostro, non suo vnusquisque autem nostrum, non alieno: sed suo moritur peccato.*

Prosper Aquit.

*Maria mortua propter peccatum.*

17 Quartò, expressè de ipsa B.Virgine ita sentire videtur Aug. concio. 2. in psal. 34. ad illa verba:

Digitized by Google

ba.: *Cum autem mihi molesti essent, induebar cilicio*. Vbi postquam per cilicium carnem Christi mortalem intelligi docuit, & Christi mortem per Apostolum dici peccatum in illis verbis, *De peccato damnauit peccatum*, quia per peccatum facta est, ostendit, statim subiunxit. *Sic ergo peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato. Etenim vt celerius dicam Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini mortua est propter delenda peccata.* Cum verò Augustinus patentem mortem latentis culpæ manifestum dicat indicium, vt supra docuimus, & iniustè asserat puniri propria morte, qui proprium non habuit peccatum; Mariam verò planè affirmet mortuam propter peccatum, nihil mirum si propter intrinsecum, & actu contractum, Supra n. 11.

 rea-

Digitized by Google

reatum illam obijsse ex Augustini sententia plærisque videatur.

Bonau. in 3. d. 3. pa. 1. ar. 1. q. 2.

17 Rationem tandem, & verba Bonauenturæ de hoc ipso dubio subijcio. *Si B. Virgo caruit originali peccato, caruit merito mortis; ergo vel iniustitia facta est ei, cum mortua fuit, vel dispensatiuè pro salute generis humani mortua est. Primum facit ad contumeliam Dei, quia si illud verum est, Deus non est iustus retributor. Secundum ad contumeliam Christi, quia si illud verum est, Christus non est sufficiens redemptor; ergo vtrumque falsum est, & impossibile.*

*Bonauent de Maria morte sententia.*

18 Hæc sunt potiora, quæ pro hac sententia congeri potuerunt. Etenim præter illa, quæ, qui ita sentiunt, adducunt, plura inuestigaui, & quæ grauioris erant momenti, propalare non omisi. Neq; enim aliquorum infirmę artes mihi aliquando placuerunt, qui vt suam statuant sententiam, alienæ

fun-

Digitized by Google

fundamenta non promunt. Certè non est firma propriæ opinionis assertio, alienæ roboris occultatio.

### *An propterea mortua Virgo Deipara quia in Adamo peccauit, an verò ex debito contrahendi peccatum originale?* Cap. 4.

19 VI B. Virginem à peccato originali volunt immunem, dum eius mortem contracti reatus pęnam nolunt fateri, non vno modo causam eius assignant. Inde sunt qui defunctam dicant, quia cum vniuerso hominum genere in Adamo peccauit, & meruit cum cæteris graue mortis subire supplicium: Demeritum excludunt intrinsecum, & extrinsecum in Adamo reponunt, nec dubitant eius mortem pęnam affirmare peccati, dummodò non in se incurrisse;

Vasq. in 3. par. to. 2. disput. 115. & c. 1. n. 115. & c. 11. n. 124.
Ægid. lib. 3. de pręfer. q. 4. a. 2. §. 1. nu. 49. & seq. & alij.

se;

Digitized by Google

se; sed in alio illud commisisse defendant. Constitutum, inquiunt, fuit ei, sicut & reliquis hominibus propter peccatum primi parentis semel mori, & ab hac constitutione liberata non fuit, quamuis à constitutione de transfusione peccati originalis fuerit exẽpta. Præseruatam præ cæteris aiunt à culpa, sed inclusam cùm cæteris sub pęna; nam licet ipsa non habuerit meritum mortis, habuit tamen ille, qui demeritum intulit vitæ; cuius peccatum etsi actione fuerit vnius, fuit in radice, à qua omnes processuri erant, virtute & contagione cunctorum. Hac ratione se satisfecisse putant sufficienter Augustino supra citato, & si qui sunt alij, qui mortuam affirmant B. Virginem propter peccatum.

*Quidam sentiunt Mariam obiisse quia peccauit in Adam.*

20 At quidquid sit, siue B. Virgo peccauerit in Adamo, vt cõmunior & facilior fert opinio, siue nõ peccauerit; vt alij nunc probabilius, quàm

*Impugnatur.*

quàm vtilius defendunt (neque enim consultum putauerim modò de hoc dubio controuerti, ne extra principalem controuersiam de actuali contractione maculæ, vel immunitate ab eadem exspaciari liceat, & disputatoribus plura offerantur diuerticula) fateor, quam alij probant, facilemque putant sententiam hanc, mihi aliquas parere difficultates. Primam, quod ob culpam in alio commissam, soluat pęnam in seipsa, & sit radicale peccatum, sed personale supplicium. Ad modum delicti est & plagarum modus. Non negauerim, quod productior aliquando est, quam Deus infligit pęna, quam quod committit homo peccatum, vt docet August. ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & poena. Nec dubitauerim remisso & ondonato peccato vniuersum quandoque non tolli vel dimitti poenæ supplicium, vt credi statuit

Aug.trac 124. in c. 21. Ioan. ad med. & lib. 21. de ciuit. Dei c. 11

Con-

Concil.Tridentinum. At dubium faceſſit quomodo vera & intrinſeca alicui infligantur tormenta ob radicale & extrinſecum in primo parente peccatum, à quo in propria perſona dum verum eſſe perſonæ acceperit, omnino cenſeatur immunis. Facilius fieri poſſe ſupra oſtendimus ex Auguſtino, vt tranſeunte ad poſteros peccato, non tamen ſequatur & poena, quam vt non tranſeunte culpa, tranſeat pęna, & abſque cōmunicatione peccati partem ſumat pęnæ, qui non habet culpæ. Ita verò intelligendum eſſe illum locum Pauli. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt*; multis in locis docet idem ſanctiſſimus Magiſter; vt cum ipſa morte peccatum tranſeat in morituros, ita vt abſque tranſitu peccati, paruuli & qui aliunde non peccauerunt, corporis morte cenſean-

Concil. [T]rid. ſeſ. [5].c. 10. can. 12

ſupra c.3 num.11.

Vide l.1. de pecca. meri.c.9. & ſeq.ſer. mon.4.de Verb. Apoſt. & Bed. in ca. 5. ad Rom.

ſcan-

seantur indigni. Ex eodem loco collegit sancta Trident. Synod. non transfundi mortem aut pęnas corporis in Adæ posteros absque trāsfusione peccati, quod mors est animæ [a], quæ iuxta superius positam Prosperi doctrinam, prius peccato vulneratur, quàm corpus morte prosternitur [a]. *Omnis pæna*, inquit Aug. *si iusta est, peccati pæna est, & supplicium nominatur*. At non illi peccato in Adamo commisso, sed in persona contracto statuendum esse mortis supplicium docuit apertè. *Peccato* inquit ad Iulianum [b] *infantes moriuntur. Cui peccato, quæso te, nisi quod originale traxerunt?* Et alibi dū illas causas recenset, propter quas Deus hominibus dolores infligat, inquit: [c] *Omnes pœnæ siue temporariæ, siue sempiternæ, sicut vnusquisque diuina prouidentia tractandus est, inferuntur, vel pro peccatis siue præteritis, siue in quibus adhuc viuit ille*

Cō. Trid. sess. 5. can. 2.

a Aug. l. 1 retrac. c. 9 & l. 3. de lib. arb. c. 18.

b Idem 6. con. Iul. c. 4. ad fin

c. Idem l. 21. de ciui. c. 14.

qui

Digitized by Google

*qui plectitur, vel pro exercendis declarandisque virtutibus.* Exerceri poteſt homo per dolores, & excitari poteſt ad altiores capeſſendas virtutes per infirmitates; at occidi non debet in ſupplicium, nec mors ei infertur in poenam, niſi vel habuerit, vel commiſerit peccatum, per quod mereatur mali ſubire vindictam.

21 Non leuem etiam mihi generat difficultatem circa eandem ſententiam, Auguſtini, aliorumque Patrum doctrina, & Concilij Arauſicani definitio ſuperius poſita, quæ iniuſtum Deum apertè contendunt, ſi vel non committenti, vel non habenti peccatum, mortem inferret. Tunc verè ego dixerim cum Auguſtino, *vera eſt Dei iuſtitia, ſi graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum non ſit iniuſtum. Quomodo autem non eſt iniuſtum iugum graue, ſi nullum eſt in paruulis malũ,*

ſup. c. 3. num. 12. & 14.

Aug. lib. 6. conti. Iulia. c. 5.

*pro-*

*propter quod iustè iugo premantur graui*. Iugum hoc pęna est, & supplicium: *si autem absque causa, iniustum est*, vt idem docet August. *& ab iniusto aliquo dominante homini impositum est*. *Porrò quia de omnipotentia Dei, & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur*. *Non enim quisquā iniustus dominatur, aut surripere hominem potuit velut ignoranti Deo, aut extorquere inuito tanquam inualidiori vel terrendo, vel confligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret*. *Relinquitur ergo vt hæc pæna iusta de damnatione hominis veniat*. Idem li. 3 de lib. arbit. c. 18.

22 At vel ex ipsis postremis, ā-lijsq; similibus S. Doctoris verbis erit forsan qui iudicet, eum in hāc etiam declinasse sententiam, vt sufficerit ad omnium pęnam, vel vnius Adæ condemnatio. Cum enim in illo vno omnes fuimus vnus, & cum illo peccante peccarunt *Obiectio*.

runt vniuersi, ea, qua capitis & originis authoritate, omnium in se continuit voluntates ad bonum eligendum vel ad malum perpetrãdum, continuit etiam ad boni præmium, vel ad mali supplicium. In vno ergo peccante facti sunt omnes rei, & quam ille sibi adsciuit, in omnes pęnam transmisit. Idq; ex Apostolico confirmari potest eloquio docente, quod *vnius delicto multi mortui sunt*. Et: *Iudicium quidem ex vno in condemnationem*. Deinde: *vnius delicto mors regnauit per vnum.* Nam si per vnum & propter vnius delictum mors regnat, sufficeret illud præcessisse, vt ista sequeretur; etsi proprium vnusquisque postea nõ subiret reatum. Poterit ergo iusto iudicio infligi mortis supplicium ob solum commissum in Adamo peccatũ, quamuis aliud nullum à nascente infante contrahatur.

Rom. 5. n. 15. 16. & 18.

23 Verùm clara & aperta est

Au-

Augustini sententia de iusto supplicio non inferendo, nisi propter contractum, vel commissum præceptum, nec morte plectendos, qui ex primo illo parente descendunt, nisi ab illo traherẽt vnde iustè perirent. Ait ergo propter Adami peccatum Adami posteros mori, quia ex illa transgressione trahunt omnes peccati reatum, & mortis causam, & cum natura Adamus transfundit in omnes propaginis vitium, & vitij supplicium. *Sponte*, inquit Sanctus Doctor, *deprauatus Adamus, deprauatos damnatosq; generauit*. Et l.14. c.1. *Genus humanum non fuisset in singulis quibusq; moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est vnus ex nullo, alter ex illo, id inobedientià meruissent, à quibus admissum est tàm grande peccatum, vt in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati & mortis necessitate transmissa*. Peccauimus

Soluitur

Aug. lib. 13. de ciui.c.14.



Digitized by Google

ergo in Adamo, & in eodem dãnati sumus, sed *originaliter*, inquit Prosperus, quia ab eo necessariam habemus originẽ peccati, & peccati supplicij; actualiter tamen illud perpetimur supplicium, quia actualiter contrahimus, per quod puniri meremur.

Prosp. l.2 de vita contemp. c.19.

24 Hunc ergo sensum esse sermonis Apostolici, vt ob illud peccatũ, quod dum generamur, contrahimus, & non solùm ob illud, quod dum non essemus, in Adam patrauimus, cõdemnemur ad mortem, & ad alias poenas, clarè docet Aug.lib.1. de pecc.merit.c.11. Ita enim primum locum Apostoli in obiectione allatum interpretatur: *Ob vnius*, inquit, *delictũ multi mortui sunt. Adam quippe ex vno delicto suo reos genuit.* Et cap. 12. vbi secundum locum ita explicat: *Ideò dictum iudicium ex vno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in*

Digitized by Google

*in hominibus nisi originale peccatũ.* Vide ep. 89. ad Hilar. q. 3. *Quamuis enim condemnatio grauior sit eorum, qui originali delicto etiam propria coniunxerunt; & tantò singulis grauior, quantò grauius quisq; peccauit; tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, nõ tantùm à regno* Dei *separat, quo paruulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse ipsi* (Pelagiani scilicet) *etiam confitentur; verùm à salute ac vita æterna facit alienos.* vbi ex vno delicto originali actu contracto, seu quod sit in homine, docet eum sufficiẽter & iustẽ condemnari. Et c. 13. verbis Apostoli interrogat: *Cur ob vnius delictũ mors regnauit per vnum?* & respõdet. *Quia mortis vinculo tenebantur in illo vno, in quo omnes peccauerunt etiamsi propria peccata non adderent.* Vide Azor. 1. p. li 4. c. 25. §. secundò quæritur. Distinguit peccata actualia & propria ab illo vno originis reatu, in quo ait omnes teneri vinculo mortis, & in quo peccato om-

nes peccauerunt. Ita enim explicari & intelligi posse illud Apostoli, vel de peccato Adæ, *in quo peccato peccauerunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes: vel in Adamo, in quo peccauerunt omnes, quia in eo fuerunt omnes, quando ille peccauit, vnde peccatum nascēdo trahitur, quod nisi renascendo non soluitur*, docet idem Aug. l. 4. ad Bonif. c. 4. & lib. 1. de peccator. merit. cap. 10. Ex quo loco vtramq; hanc expositionem accepit Beda pro his verbis interpretandis. Ob vnius ergo delictum, in posteros transfusum, regnauit mors per vnum, qui cum mortis causa ipsam mortem transmisit. *Neq; enim qua in Adamum pro peccato lata est, in nos mortis sententia pertransiuit*, vt ait author lib. 2. hypognosticon apud Aug. *in quos nō transiuit & culpa. Nisi fortè secundùm Pelagianos iniustus est Deus,*

Beda in cap. 5. ad Rom.

Pseudo Aug. l. 2. hypogn. c. 1.

*qui*

*qui expertes Adami delicti, passus est nos eius pœna vinculis adstringi.*

25 Nec certè credibile est Deū sacratissimā hanc, de qua agimus, Virginem, cruciari velle & mortis affligi poena propter illud peccatum, à quo voluit esse alienam. *Innoxiam*, vt illis verbis apud Cyprianum vtar, *nec decuit affligi*, nec poenam subire peccati, quæ, vt ait B. Ephrem, *ab omni sorde, & labe peccati fuit alienissima*. Vel si cuipiam adhuc placet, eam propter peccatū in primo illo humani generis fonte & seminario commissum, nec tamen in se admissum, illatam propter esum vetiti edulij sententiam mortis subire, considerer nō de vna, sed de pluribus mortibus sententiam hanc esse accipiendam. Ita docet Augustin. his verbis. *Cum requiritur quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum trāsgrederentur acceptum, nec obedien-*

Auth. operis de Cardinal. virt. apud Cypr. ser. de natiu.

Ephr. ora. 2. de B. Vir. to. 3.

Aug. 13. de ciuit. Dei c. 12

*tiam custodirent: Vtrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illa, quæ secunda dicitur? Respondendum est; omnes. Prima enim constat ex duabus, secunda ex omnibus tota. Sicut enim vniuersa terra ex multis terris, & vniuersa Ecclesia ex multis constat Ecclesijs: sic vniuersa mors ex omnibus: quoniã prima constat ex duabus; vna animæ; altera corporis, vt sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda vero vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito quacunque die ederitis ex eo morte moriemini; non tãtum primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo, nec tantùm posteriorem vbi corpus priuatur anima; nec solum totam ipsam primam, vbi anima & à Deo & à corpore separata punitur, sed quicquid mortis est, vsq; ad*

*Quam minatus est Deus mortem Adamo.*

Gen. 2.

Vide Fulg. l. 1. ad Mori. ãte med.

*no-*

*nouissimam, quæ secunda dicitur, & quæ est nulla posterior, comminatio illa complexa est.* Si ergo omnes has mortes vna illa mortis sententia complectitur, annè innocua & peccato prorsus nescia, sub ea Virgo comprehendetur? Nunquid animæ mortem, illamuè secundam subijt, aut vt subiret, fore dicetur? Erit forsan, qui eam ex hac parte sententiæ rigorem dicet iustè perpessam? quod si iniustum putat vt vel in anima Deo priuaretur, aut nouissima morte & damni poena afficeretur, quia peccatum, quo tantum mereretur supplicium, in sua persona non habuit, tollat etiam ab innocua hanc alteram supplicij partem, quæ ijsdem verbis, eadem sententia? & ob eandem culpam dabatur in poenam.

26 Alij alia incedũt via, & mortuã asserunt B. Virginem non propter peccatũ, quod actu cõtraxerit, nec Cathar. trac. 2. de Conc. l. 2 c. 2.



Digitized by Google

Suar. in 3 p. tom. 2. disput. 3. sect. 5. & alij.

nec quod in Adamo commiserit, sed quod ex illo debuit haurire, ex debito, inquiunt, peccati, seu ex illo, quod contractura erat, nisi à Deo præseruaretur, poenam pertulit mortis; sufficiensque inueniri putant fundamentum poene, vbi non defuit debitum culpæ. Huic sententiæ adstipulari videtur Augustini doctrina, dum innuit illum, cui debetur aliquid mali, posse iustè affligi mali supplicio. Ita enim loquitur de morte Christi, quam dignatus est absq; mali merito, vel debito pro hominibus pati. *Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus, ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam, Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali.* Quibus verbis inde extollere videtur sanctus Magister Christi erga nos charitatem,

*An mortua Maria, quia debitũ habuit contrahedi originale?*

Aug. l. 4. con. duas epist. Pelag. c. 4.

tem, quod cum nec malum habuerit, nec ei aliquid mali deberetur, mortem, quæ mali poena est, pro nobis subierit. Quasi insinuare voluerit sufficientem dici causam mortis, debitum culpæ, quod si in Christo præcessisset, non tam extollenda erat eius erga nos benignitas, qui quam meruit debito mali, non quam pro nobis dignanter assumpsit, passus est mortem.

27 Protulit olim hunc Augustini locum emisso de hoc ipso argumento scripto, non vulgariter erudito, Florentius Conrius, ex Ministro prouinciæ Hibernię Ord. Minorum, Tuamen. Archiepiscopus, cuius doctrinam, & in Augustini operibus versandis explanandisque singularem peritiam ego summa in veneratione habui, quã tamen nec efficaciter hanc confirmare sententiam ipse doctè, & probè agnouit, assignata, vel præmeditata

*Augustin. nequaquã huic fauet sententia.*

Digitized by Google

ditata alia magis genuina Augustini verborum intelligentia. Longè enim à sancti Doctoris mente illa recedit expositio, quod vel ipse satis clare sua ratiocinatione demonstrat. Commendat etenim ibi Christi erga homines charitatem, qui quam non debebat mortem tulit, vt quæ non debebatur nobis, vitam conferret. Nihil etenim illius mali, nimirùm mortis, Christo, nec aliquid huius boni, puta gratiæ, debebatur nobis. Nec enim Christus habuit mala merita, vt subiret poenam, nec homines bona merita, vt consequerentur gratiam. Clariora sunt ipsius sancti Doctoris verba, quam vt in alium sensum possint torqueri. *Solus*, inquit, *pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commendans ergo dilectio-*

Digitized by Google

*lectionem suam in eos, quibus erat daturus indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem.* Opposuit planè indebitam vitam gratiæ in nobis indebitæ morti corporis in Christo, quia sicut ad illam nullum erat in nobis debitum, ita & ad istam nullum in Christo præcessit demeritum. Intellexisse autem sanctum Doctorem non pro debito peccati, sed pro ipso peccato contracto mortẽ deberi planè ibidem expressit, dicens. *Hanc singularem mediatoris prærogatiuam Pelagiani euacuare conantur, vt hoc iam non sit in domino singulare, si Adam ita propter culpam mortem passus est debitam, vt paruuli ex illo nullam trahentes culpam, mortem patiantur indebitam.* Vbi apertè ostendit, quod si paruuli non traherent actu ex Adamo culpam, non haberent vnde mori deberent.

28. Caret ergo hæc sententia huius

huius loci patrocinio, si non caret & ipsa probabilitate. Eam impugnant quidam ex his ipsis, qui Mariam volunt à peccato immunem, & non immerito dicunt assignari ab huius sententiæ tutoribus pro causa mortis, illud quod eius causa esse non potest. Neque enim iustè dicetur quispiam puniri propter illud, quod habiturus, aut patraturus est, sed propter illud, quod iam habuerat, aut patrauerat, crimen, sicuti neq; bono operi fiendo, sed facto digna statuitur retributio. Proinde dum similem docuisse Massilienses opinionem, Deum nimirum remunerare bona, aut punire mala paruulorum opera, quæ præuidebat facturos, scripserunt Prosper, & Hilarius ad Augustinum, sanctus Magister totus admirabundus respondit. *Vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur*

Ægid. cit. num. 51.

*Impugnatur hæc sententia.*

Aug. lib. de præd. sanct. c. 12.

*meri-*

*merita paruulorum.* Et *quibusdam* interiectis. *Iudicari autem quemquam non secundùm merita, quæ habuit, quamdiù fuit in corpore, sed secundum merita, quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore, vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ indicant litteræ, mirans, & stupens reperire non possum, nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem.* Et alibi. *Quanquam hãc opinionem, quæ putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse, si viuerent, etiam refellere pudeat, ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputatione cohibere, quam silentio præterire.* Et in vtroque libro quàm absurdus sit error, per multa docet capitula. Aug. lib. de dono perseuer. c. 10.

29 Sed noui rectè responderi posse magnum esse inter vtràmque opinionem discrimen; hæc etenim *Obiectio.*

puniendam docet Virginem propter peccatum certo contrahendum ex debito & obligatione, quam in Adamo peccante contraxit; illa verò Semipelagianorum asserebat paruulos, pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizatos, exire de hac vita, & ideo alios non baptizatos in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala. Ad quam stultissimam doctrinã omninò consequi alia absurda docet euidentissimè Augustinus, nimirum gratiam conferri vel negari ex meritis etiam futuris, vel præuisis, & euacuari facilè posse à Pelagianis peccatum originale in infantibus, quorum circa hoc hæresim Massilienses catholica authoritate iam condemnauerant, & demum mira stultitia dici deberi præmia bonis, supplicia malis, quæ fuerat homo, si non moreretur, acturus. At valde aliena sunt hæc ab illa de Virginis

Aug. lib. de præd. sanct. capit. 13.

ginis morte ſententia, nam ex ea nihil inferri poteſt circà gratiam conferendam vel negādam ex meritis, nec peccatum originale negat, imò ſtatuit firmiter in omnibus infantibus, & ipſam Virginē ex ſingulari Dei priuilegio, & miſericordiſſima præuentione ab hac macula, aliter neceſſariò incurrenda, præſeruatam docet, nec de proprijs meritis honorandis, aut actualibus peccatis puniendis quidpiam agit. Tuta ergo & incolumis cēſebitur ab acri, & docta Auguſtini impugnatione.

30 Profectò quicquid ſit de duabus primis abſurditatibus, à quibus facilè liberari poteſt hæc opinio, à tertia dubito an longè recedat. Contrahendum etenim erat illud peccatum, propter quod dicunt Virginem morte punitam, nec tamen contraxit, futurum erat, ſed non fuiſſe, admittunt. Loqui autem illos de peccatis actualibus, *Soluitur.*

bus,

bus, hos de originali nihil refert, in vniuersum etenim & absolutè absurdum dicit Augustinus, dicere puniri quempiam ob peccata futura. *Nullum*, inquit, *limitem Apostolus fixit, quem transgredi non debeat hominis, vt mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim: omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit, inquit, non adiunxit, vel gesturus fuit.* Sed facile obijcietur Augustinum cum Apostolo loqui hic de actualibus peccatis, nec eius doctrinam accomodari licere ad originale, quod non geri, sed trahi; non fieri sed haberi semper docet magna proprietate sermonis. At locum, & doctrinam Apostoli extendit Sanctus Magister expressè ad originale peccatum. Postquam etenim illa verba: *Quæ per corpus gessit*, non aliter intelligi debere nisi se-

Indidem c. 12.

Rom. 14.

Vide August. l. 5. cōtra Iulian. c. 15

cun-

Digitized by Google

cundum ea, quæ homo gessit eo tempore, quo in corpore fuit, vt per corpus, intelligamus corporis tempus: protinus adiunxit: *Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatũ, quo siue soluto per Dei gratiam, siue per Dei iudicium non soluto, cùm moriuntur infantes, aut merito originis transeunt ex malis ad mala*. Limitem ergo Apostoli, qui dixit, *quæ gessit*, non *quæ gesturus erat in corpore*, etiam in infantibus non transgrediẽdum esse docet, sed credendum propter mala, quæ habebant, non quæ habituri erant, morte mulctari. Largius & clarius prosequitur Beda hanc ipsam explicationem istius loci Apostolici, vt etiam infantes dicantur propter peccatum contractum pœna damni puniri, vel regeneratione saluari, vt verum sit eos iudicari secundum illud, quod gesserunt, vel potius

Beda in ep. 2. ad Corinth. c. 5.

tius habuerunt, non vero secundum illud, quod erant habituri.

Aug. lib. de dono perseuer. c. 10.

31 Ad hæc accedunt alia duo loca Augustini non longè disparia nostro proposito. Primus est in libro iam citato de dono perseuerantiæ, vbi ex cuiusdam disputatoris catholici nobis prorsus ignoti, peregrina expositione ad illum locum Lucę 10. *Si in Tyro, & Sidone &c.* infert. *satis aperteque demonstratur de his peccatis neminem iudicari mortuorum, quæ præsciuit fuisse facturum, si aliquo modo eis ne illa facerent, subueniretur.* Quibus verbis obuiatur ijs, qui obiecerint Virginem prorsus peccatum hoc contracturam, nisi Dei gratia præuentione misericordissima ab eo liberaretur, & proinde mortem meruisse ob peccatum aliàs certò futurum. Secundus locus est lib. 1. de anima, & eius origine ad Renatum c. 12. vbi pro absurdo inconuenienti infert, quod *homo iudica-*

*dicatur secundum eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam, non secundum eam, quæ in illo inuenta est, innocentiam.* Futura erat, fatemur, in Virgine malitia, sed secundum hanc non debuit plecti, nec ad mortem iudicari, sed secundum eam, quam actu habebat innocentiam, gratiarum donis cumulari. Ab his ergo oportet se expediant difficultatibus (quæ mihi sanè non adeo leues videntur) illi, qui licet Virginem à peccato originali defendant, propter peccatum tamen, & in pœnam personalem peccati mortem incurrisse concedunt.

†



Digitized by Google

*Sanctissimam Virginem mortem obiisse, non in pœnam proprii, seu personalis peccati, sed ex conditione mortalis, & destituta naturæ.*

*Cap. V.*

32 Elatis aliorum opinionibus, & adiectis, quæ occurrebant, difficultatibus, nostram vt statuamus sententiam, suppositum pro certo volumus cũ Diuo Ambrosio, Virginem Deiparam non gladio, aut violenter occisam, vt quidam falso autumarunt, sed vera, & naturali morte defunctam, quantumuis id Collyridiani negauerint, dum diuinæ eam naturæ, & mortis expertem falsò docebant; idque ipsum quoad mortem docuerit Timotheus presbyter, & de ea sanctus visus sit dubitasse Epiphanius, qui dum

Amb. l. 2. in Luc.

Timoth. orat. de sacro occursu.

ex

ex sacra Scriptura eius transitum probare non potuit, dubitandus circa eum astruendum, vel negandum hæsit. *Non autem*, inquit, *omnino definio hoc, & non dico quod immortalis mansit, neque affirmo an mortua sit. Excessit enim Scriptura mentem humanam, sed in suspensa reliquit propter vas preciosum, ac excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum.* Attamen Ecclesia Catholica nullam circà hoc dubitationem admittit, quia quam humanæ, non diuinæ, neq; angelicæ, vt quidam voluerunt hæretici, credidit naturæ, subiectam prorsùs humanæ non dubitauit mortalitati.

Epiphan. hær. 78.

Vide Baron. anno 48. & D. Thom in 3. d. 4. q. a. 3.

32. Illinc porrò mortalem euasisse excellentissimam hanc heroinam, vnde cęteri hominum mortalitatem contraxerint, affirmare non dubitauerim, ab ipsa scilicet natura, ex contrarijs ad interitum ducentibus coagmentata, & sibi

*Maria vnde mortalis?*

ipsi suæque primigeniæ fragilitati propter primi hominis peccatum penitùs derelicta. Mortem autem ipsam de facto subijsse in pœnam culpæ, quam ipsa habuerit, vel per mortem, alicuius peccati. quod ad eius pertinuerit personam, pœnas luisse ad modum cæterorum hominum, fidenter negauerim; & piè affirmauerim eius mortem rationem nullam personalis habuisse supplicij. Sententiam hanc mihi abunde suadet pietas in Virginem, multorum Doctorum grauis consensus, & non inefficaces rationes.

*Non ex pœna peccati*

Pium duco in innocentissima Virgine nullam rationem pœnæ personalis admittere, neq; sub communi hominum reatu affirmare defunctam, ut propter aliquod malum, vel peccatum in fœlicissimo transitu tam graui puniretur supplicio. Diuinum illud plasma, deitatis reclinatorium, vitæ thesaurum, perfectissimam Dei creaturam

turam

Digitized by Google

turam morte plexam, supplicio affectam, & vita priuatam in mali penam, timeo, & horreo asserere, quam vel quoquam modo mortuam dicere verentur Sancti Patres ob tantam innocentissime puritatis excellentiam. *Vita thesaurus, gratiæ abyssus, nescio, inquit* Damascenus, *quo pacto intrepidis, ac minimè trementibus labris efferam, morte vitam auferente obtegitur, quæque eius euersorem pepererat ad eam, metus omnis expertem, accedet, si tamen sanctissimum, ac vitalem ipsius somnum mortem appellare fas est. Nam quæ veram vitam cunctis protulit, qui tandem mortem degustare, aut ei obnoxia esse queat? Verum filij sui legi omninò obsequitur. Atque vt quidem veteris Adami filia veteres pœnas subit, nec mirum, cum ipsius quoque filius, qui ipsamet vita est, eam non recusarit.* Veteres, inquit, Adæ poenas, non nouas, aut proprias sustinuit, quæ Damasc. orat. 2. de dormit. B. Mariæ.

 non

non habuit vnde proprias mereretur. Id vel ipsos protoplastos parentes agnouisse, & sua in virgineo hoc somno intimasse loquela, idem Damascenus his verbis repræsentat. *Tum Adamus, & Eua nostri generis authores, exultantibus labiis altè exclamarunt: Beata tu filia, quæ violati mandati pœnas nobis sustulisti. Tu mortali corpore à nobis accepto immortalitatis indumentum nobis reperisti. Tu cum à lumbis nostris ortum accepisses, beatitudinem nobis rependisti, dolores deleuisti, mortis fascias perfregisti &c. Quonam autem modo o immaculata morti obnoxia efficeris, tu, inquam vitæ pons, & cæli scala!* Et ne quis vel leuiter cogitare posset, eum iudicasse ob aliquod ipsius Virginis peccatum eam obiisse, inferius ipsam introducit suam animam *sanctam*, inquit, *puram*, & *labis expertem in filij manus commendantem*, his verbis; *Animam meam*

Damasc. paulo inferius.

*tibi*

*tibi charam accipe, quam à peccati labe puram seruasti.* Et paulò inferius ex translatione Metaphrastis ait, *animam Virginis fuisse sanctissimam, & nulli culpæ affinem.* Dum ergo sanctus, & pius hic Doctor nullam inuenit mortis causam in Virgine; eius transitum veluti tremens, & stupens mortem appellat, & nescire videtur quonam modo morti fuerit obnoxia. Epiphanius etiam supra citatus, timet, ac horret mortuam dicere. Ideoq; iudicat Euangelistas de eius obitu nihil dixisse, & in suspenso reliquisse propter vas preciosum, & excellentissimum, ne nihil vile, aut indecorum de ipso suspicaremur.

34 Quid igitur? quam illi vel mortem subijsse dicere verentur, & vt ipsum fugiant vel *mortis* nomen, dormitionem eius decessum appellant, egone supremam omnium creaturarum, humanæ naturæ Reginam, generis nostri decus,

totius diuinæ Trinitatis complementum, vitæ matrem, non solum mortuam asseram, sed & in delicti sui pœnam ipsius mortis tulisse supplicium? Annè ita facile licet quam alij sanctissimi viri ab ipso communi exitu generis nostri veluti vendicare vellent, si possent, etiam sub nostri dedecore supplicij compræhendere, & affirmare sub peccati vindicta è vita excessisse, quam Deus per omnem vitam à peccato seruauit immunem? Itanè, quæ ipsam peperit vitam, in extremo vitæ halitu dicemus verè pœnas sui quoquo modo commissi, vel admissi luisse peccati? *Nihil in hac repetebat vltio* (liceat Cypriani ad hunc sensum verbis vti) *nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa.* Mysteriosam Virginis dormitionem *supermundanam* seu cæteris

Cyprian. citat.

teris

Digitized by Google

teris mundanis, aut humanis moribus superiorem, aut excellentiorem vocauit Andræas Cretensis, quasi nihil mundanæ miseriæ, aut iustæ vltionis in ea vellet cõcipere; & nos summam fuisse affirmabimus miseriam, proprij videlicet peccati vindictam? Suadeat quæso pietas & digna tantæ Virginis reuerentia, non tam propriæ ipsius culpæ, quàm propriæ conditioni naturæ mysteriosam hanc adscribere dormitionem.

Andræas Cretensis ser. 2. de dormitione B. Virgin. c. 10.

35 Placet grauiorum ita sentiẽtium subiungere testimonia, ne soli pietati absq; vlteriori videamur inniti fundamento Augustinus, vel qui author est tractatus de Assumptione Virginis in appendice tomi 9. (quem clarissimum Theologum esse nõ veretur asserere Baronius) *Memores* (inquit cap. 2.) *conditionis humanæ mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem certè eius filius, qui &* *Deus*

*Probatur sanctorũ authoritatibus.*

Baronius citat.

August. *Deus & homo est, lege sortis humanæ sustinuit.* Vbi conditioni humanæ naturæ æquè Christi, ac matris mortem adscribit. Et c. 4. postquàm à diuersis poenis, & sententijs generalibus illatis propter peccatum, eam immunem omnino docuit, addidit; *Quid ergo si in tanta diuersitate eam dicimus humanæ sortis mortem subijsse, nec tamen eius vinculis* (corruptione scilicet & incineratione.) *retineri; per quam Deus voluit nasci, & carnis substantiam communicare, nunquid impium erit?*

Damasc. Damascen. orat. 1. de B. M. dormitione. *O quonam pacto fons vitæ ad vitam interiecta morte migrat? O quemadmodũ ea, quę in partu naturę leges excesserat, nunc ipsius legibus subest, atque immaculatum corpus morti subijcitur! Oportebat enim illud exuta mortalitate incorruptionem induere, præsertim ne cùm ipse quidẽ naturæ dominus mortis periculum facere recusarit.* Vbi

non

non alijs, sed naturæ legibus eius mortem tribuit; & causas transitus assignat, vt pro mortalitate immortalitatem indueret, & quam Christus sensit, mortem subiret. Egregia & plura habet in hūc sensum: Virgineæ mortis encomia duabus orationibus de Beatę Virginis dormitione. Andręas Cretensis ser. 1. de dormitione sanctissimæ Mariæ c. 2. apud Surium ad 15. Augusti: *Naturæ seruiens legibus vitæ finem accepit*, & serm. 2. c. 3: *Quod vsq; ad nostram quidem processerit mensuram, quæ fuit habita in tanta admiratione, & commune exoluerit debitum, est proprium naturæ.* Andręas Cretens.

36 Guerricus Abbas, Bernardi discipulus ser. 2. de Assumptione, non longè ab initio, angelicas virtutes repræsentat sacratissimam Virginem in lecto discumbentem; vt ex hac vita ad meliorem gloriosa transiret, visitasse, admirat⁊sque Gueric.



Digitized by Google

que quomodo sancta, quæ solebat, non visebat sui Filij vestigia, interrogasse cur ab his modo vacaret, & ex toto decũberet? Quibus illa: *Langueo, inquit. Pape langues? languor enim, quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tamdiu habitauit? De corpore illius Filij tui virtus exibat, & sanabat omnes, adeo vt etiã fimbria vestimenti Aemorroissam sanaret; & tu, qua tamdiu ipsum in vtero, in sinu in gremio cõtinuisti, quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit illa, quod id miremini, si illud ipsum corpus filij mei quale aliquando fuerit, recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisuè defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego noui, quæ ipsum in vtero alui, vberibus lactaui, sinu foui, nec solius infantia, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis vt potui, ministraui: ad extremum non sine passione mea, ludibria, &* sup-

*supplicia passionis, & crucis aspexi; per singula discens, quàm vere de eo noster Isaias dixerit. Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit. Cur ergo ego dolorem non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata, aut superba, vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte pati non possim, aut nolim, & ille quidem misericordi voluntate, ego autem naturali necessitate.* Quo discursu ostendit planè Christi & matris mortalitatem & passibilitatem à naturæ cõditione prouenire, licet Christus sponte has admiserit poenalitates, Virgo tamen ex naturæ propriæ necessitate. Similiter vtramque inter se comparat mortẽ Bernardinus Senensis tom. 3. ser. 11. de Assumptione B. Virginis a. 3. c. 1. *A generali, inquit, sententia mortis Christus Dei filius non exemit matrem, quia ab illo nullus, nec ipse voluit esse alienum* Isai. 53. Bernard. Senen.



Digitized by Google

*ac per hoc mortuus est filius, mortua est & mater*. Alia habet, quæ ad hanc conducant sententiam tom. 1. serm. 52. art. 1. cap. 1. & tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 2. Amadeus Lusitanus Congregationis Amadeorum Fundator, in libro reuelationum, raptu 4. ait. *Nihil mirum, si culpa non inhærente B. Virgini, mors & passio ei inhæserit, quia in ea conditiones sunt naturæ*. Et raptu 8. dicit *eam soluisse commune debitũ naturæ, & quod mortem non meruerit ab omni peccato immunis*. Angelus de Pas in expositione in Symbolum lib. 5. c. 22. *Prætereunda*, ait, *mihi haud videtur quæstio; an mors quæ in alijs à peccato accidit, fuerit in Maria peccati pæna. Siquidem Caiet. in opusc. de conceptu Virg. ad Leonẽ X. vult ob peccatum mortuam Mariam; & contra sentire hæreticũ putat; cum Paulus arguat, Christus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. *Albertus Pighius*, &

B. Amad.

Angelus del Pas.

Am-

*Ambros. Cathar. ab hæresi excusant; dicere non propter peccatum mortuā Virginem, immò volunt pium esse sic sentire, nec mortem, nec aliquam originalis peccati pœnalitatem, à peccato prouenisse Virgini, sed à voluntate Dei, qui sicut à peccato præseruauit mundam, à peccati pœnis liberam custodisset, nisi eam conformari Filio vidisset conducere. Nec id Christum Mariæ liberatorem negat, & pro ea mortuum; quin cæteris perfectius liberatam indicat, sicut & redemptam.* Et paulò superius iam dixerat. *Et moritura erat, minime tamen ob peccatum contractum, sed vt Filio conformaretur.* Hanc nostram sententiam docent etiam apertè Gerson serm. de Conceptione ante finem. Petrus Galatin. lib. 7. de arcanis cap. 10. & largè 4. par. de vera Theologia lib. 2. tract. 2. cap. 6. cuius viri doctissimi hoc opus cum alijs plærisque eiusdem elucubrationibus, oportuno tem-

pore prodituris in lucē, penes me ſunt manuſcripta. Gutierus à Trejo vir doctus in comment. ad Epiſt. Pauli, quæ ante centū annos emiſit in lucem in c.5.ad Rom.ſect.17. & 27. Viguer. in inſtit. c. 18. §.5. verſ.2. Petrus Caniſius lib. 5. de Deipara c.2. Michael Glycas, qui ante quingentos annos doctè ſcripſit Græcè 3. par. ſuorum Annal. Conſtantius Sarnanus in adnotationibus marginalibus ad Antoniū Andream in 3.d.3.q.vnica ad vltimum argum. Baron. citatus. Ioan. à Carthag. to. 3. hom. lib. 13. ho. 1. & Io. Baptiſta de Lezana lib. apolog. pro immaculata Mariæ Conceptione c. 36. ad 4. argumentum.

*Probatur ex Bulla Pij V. & Gregor. XIII.*

37 His accedit ſupra citata Bulla illa Pij V. & Gregorij XIII. in qua condemnatur hæc propoſitio, in ordine earum, quæ referuntur in diplomate, 70. *Nemo præter Chriſtum eſt abſq; peccato originali; hinc B. Virgo mortua eſt propter pec-*



Digitized by Google

*ratum ex Adam contractum, omnesq; eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis*. Ego etenim aliqua censura ex ijs, quas adhibent Pontifices in fine Bullæ propositionem hanc notari planè iudico, meamque sincerè fateor inscitiam, vel ingenij tenuitatem, qui hucusque varias multorum huius propositionis explicationes, quibus eam ab omni Pontificia censura liberare conantur, sufficienter intelligere non potui; dum condemnationi Pontificum iuxta verborum proprietatem sufficienter satisfactum perspicuè nõ viderim. Omnes, quos consului, referre, & refellere nimis esset operosum & molestum; clariora sunt ipsa verba & Baij illatio ex prima illa pro. propositionis parte. *Nemo præter Christum est absq; peccato originali*, quã vt expositionẽ aut tergiuersationem admittant. Proposuit pro

 fun-

fundamento prima illa verba; ex eis ita deduxit. *Hinc Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut & aliorum iustorũ fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis*. Pontifices hanc cum cæteris propositionibus in bulla recensitis, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias scandalosas, & in pias aures offensionem immitentes, respectiue dixerunt & condemnarunt. Qui ergo planè & pertinaciter dixerit *Beatam Virginem mortuam propter peccatum ex Adam contractum*, aliquã, etiamsi minimã, ex assignatis mereri videbitur censuram. Quod enim quidam dicunt, totam condemnari propositionem, propter illa verba *Vltiones peccati actualis vel originalis*, quibus visus est Baius innuere in B.Virgine actuale fuisse peccatum, verosimile non est. Etenim Doctor hic, aliàs pius

&

& doctus, etsi in his propositionibus desipuerit, in Louaniensi Academia, & in Concilio Tridentino, ad quod à Catholico Rege fuerat missus, vidit constanter, & absq; vlla dubitatione B. Virginem semper ab actuali peccato defendi, nec in eius operibus quidquam reperitur, quo vel leuiter iudicetur eum putasse Virginem actualiter peccasse; præterquam quod illam disiunctiuam *actualis, vel originalis* adhibuisse propter alios sanctos, de quorum etiam afflictionibus in anteriori parte propositionis locutus est, facile, & benigne iudicare liceat, & ad eius concludendum intentum, quod ex illis verbis *Maria mortua est propter peccatum ex Adam contractum*, clarè cōstabat, sufficeret vltima disiūctiuę pars scilicet *originalis*. Adde insuper Baiū semper cōstantisime negasse se aliquando huiusmodi docuisse, vel scripsisse propositionem.

38 Deinde si durum hunc, quẽ aliqui volunt, sensum admittamus posterioris partis propositionis, quid afferri poterit, per quod saluetur illa prior pars, qua clarè asseritur Mariam mortuam propter peccatum originale, quæ etiam non minus, quam altera pars condemnatur? Nihil planè, nisi velis dicere ideo Pontifices eam condemnasse, quia supponit, seu affirmat mortem, vel afflictiones inferri solùm ad culpæ vindictam, vel propter peccatum, cum sacra Scriptura Tob. 2. & alibi sæpe doceat aliquando, & frequenter has infligi, vt posteris detur exemplum patientiæ; vt ipsi etiam sancti, & iusti viri, qui eas patiuntur, in virtute exerceantur, & meritorum sortiantur augmentum. Quod etiam clarius docuit Aug. epist. 28. tract. de Vrbis excidio c. 4. lib. 6. contra Iulian. c. 9. lib. 13. de ciuit. per varia cap. & lib. 14. c. 3. At hęc

ipsa

Digitized by Google

ipsa solutio, quam quidam pluris faciunt, & largius prosequuntur, nostrum confirmat intentum, dum aliam à peccato assignat causam mortis Deiparæ, & consequenter admittat condemnatum à Pontificibus, qui asseruerit Mariam mortuam propter peccatum; quicquid attinet ad alteram partem propositionis, circa quam modo nolim immorari. Hæc etenim assertio de Marię morte propter peccatum ex Adam contractum, nihil planè dependet ex sequentibus verbis, & absq; earum connectione suum integrum conficiunt sensum, quem tamen reijciunt Pontifices, & aliam apertè insinuant assignandam esse causam illius fęlicissimi transitus præter peccatum originale. Nequaquam autem hìc agimus de primis illis verbis: *Nemo præter Christum est absque peccato originali*: neq; enim contendimus ea sub illa censurarum varietate cō-



Digitized by Google

prehendi, aut opinionem asserentem B. Virginem sub originali peccato fuisse conceptam ab vtroque illo Pontifice fuisse aliquatenus condemnatam, dum alij posteriores Pontifices eam voluerunt à censuris immunem. Eò duntaxat noster tendit ratiocinatio, vt ex placido illo sopore Virgineo, seu breuissimi temporis, minimeque poenosa separatione animæ foelicissimæ à corpore sacratissimo, ostendatur imbellem deduci sequelam ad peccati originalis contractionem, aut debitum.

*Ex sensu etiam Ecclesia.*

39 Tandem huius quodammodo sensus esse videtur Ecclesia, dũ in oratione vigilię Assumptionis B. Mariæ his vtitur verbis *Etsi ex conditione carnis migrasse cognoscimus*, ex qua eadem deprompsisse videntur Vsuardus, & Ado in suis Martyrologijs ad 17. Kal. Septemb. & ad 6. Idus eiusdem; ita enim habent. *Pia mater Ecclesia,*

*quæ*

*quæ suis obseruationibus integerrima fide fundata consistit*, *eius* ( scilicet Virginis ) *Venerabilem memoriam sic festiuam agit*, *vt pro conditione carnis eam migrasse non dubitet*, quasi planè significari videatur Ecclesiam intelligere Virginem obijsse ex conditione carnis mortalis, ex contrarijs qualitatibus coagulatæ. Noui tamen à quibusdam responderi, sumi ibi iuxta vsitatam sacræ Scripturæ phrasim carnem pro homine, aut humana natura, vt est illud Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. 3. Reg. 2. *Ingredior viam vniuersæ carnis*, & Psal. 64. *Ad te omnis caro veniet*. Neq; aliud significare in illa oratione, aut martyrologijs, quam conditionem vniuersalem omnium hominum post præuaricationem Adæ esse in mortem ire. Nec ego id iuerim inficias, idq; ipsum dictum velim, vt ea sit conditio hominum humanæuè na-

Lege Fulgen. de incarnat. Christi c. 9.

turæ

turæ post Adæ lapsum; quo meruit immortalitatis dono omnem priuari naturam, vt nullus sit Adæ filius, qui mortem possit euadere, etsi aliquis esset, qui nullum haberet peccatum, propter quod mereretur occidi. Atq; hinc repetijsse mortem in Virgine sui trophęi vniuersalis exuuias, quia eum vicit, à quo vniuersa hominũ erat haurienda natura. Pęnalitate ergo carnis humanæ Virgo subiuit, non proprij luit poenas peccati.

*Confirmatur rationibus.* 40 Rationabilem etiam hanc esse sententiam ex eo probatur, quod *mors, quę pœna causa infertur*, vt habet Origenes *sit purgatio peccati ipsius, pro quo iubetur inferri*, & poena dicatur à pendendo, quia supplicium illud pro delicto penditur, vt docet Vlpian. l. 5. q. §. quis de poen. & noxæ est vindicta, vt idem habet l. 131. & 244. de verb. sign. At Virginem per mortem purgasse, aut soluisse peccatum

Orig. ho. 14. *in* c. 25. Leuit.

tum

tum, vel in obitu pro delicto pependisse supplicium, aut vindictam subijsse aliquanto durum videtur in auditu. Non ergo dicenda est pertulisse mortem, quæ poena sit dicenda peccati, sed fragilitatẽ, & pęnalitatem ipsius sensisse naturæ.

41 Deinde leuissima fuit hæc Virginis mors, ad modum soporis immissi in Adã vt docet And. Gret. or. 3. de dor. Vir. Ger. Constãtinop. or. 1. de ead. Theod. Abucaras opu. 37. & alij Græci PP. & B. Birgida lib. 4. reuelat. c. 23. & orat. 1. absq; omni prorsus dolore, vt habent Lauren. Iustinian. serm. de assumpt. Albertus Mag. lib. de laud. Virg. c. 171. Hugo de sancto Victore in miscellaneis eruditionibus, lib 2. tit. 125. nec ex vlla infirmitate, sed ex intenso desiderio sui fruendi filij, & ardentissimo in eundẽ amore prouenit. Ita Guerric. & Albertus citati. Imò iubente domino in ipsa Dei contempla-

Digitized by Google

platione, & summa exultatione transiuit ex hac vita, vt ipsa sacratissima Virgo his verbis ad B. Brigittam lib. 6. c. 62. testatur: *Cum quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis; tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat; & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* Quod & Petrus Paludanus serm. 2. de Assumpt. largius prosequitur. Ipse ergo dulcis, placidus, ac summè desiderabilis hic occumbendi modus facilè suadebit mortem hanc non peccati fuisse vindictam, nec criminis supplicium, sed potius initialem, & iustam tantorum meritorum retributionem. Mariæ summè grata, bona, & suauissima facta est mors, atque *vita præstantior*, vt ait Damascenus *vtramque hanc incomparabiliter antecellens*, quæ mali quidpiam in illa vllo

Damasc. orat. 2. de dormit. B. Virg.

cru-

Digitized by Google

cruciatu vendicare non audet. Sed in alijs *mortis magna est*, vt ait Aug. *multumq; dura molestia*, *&* *habet asperum sensum*, vt idem alibi ait, *&* *contra naturam vis ipsa*, *qua vtrumq; diuellitur, quod fuerat in viuente coniunctum, atq; consertum, quamdiu moratur: donec omnis adimatur sensus, qui ex ipso inerat animæ carnisq; complexu*. In cęteris ergo pęna est mors, in Maria nihil repetebat vltio, nec habuit quod vindicaret dira mortis acerbitas.

Aug. de peccato merit. l. 2. c. 34.

42 Tandem poena per iram generatur, vt habet Ambros. ira autem nascitur ex peccato, quæ poenam infligit, non vt ignoscat, sed vt vindicet; sed erga sacratissimam Virginē Deum horremus dicere aliquãdo iratum, aut eam aliquid habuisse, per quod iram Dei mereretur in vita, ergo nec illud quod prouenit ex ira supplicium sentire debuit in morte, in qua ni-

Ambros. in c. 4. ad Rom.

Digitized by Google

nihil erat, vel quod Deus ignosceret, vel quod poena vindicaret.

*Rationes propter quas sanctissima Virgo obiit.*

43 Si autem quispiam dubitauerit, quare quæ mortem non meruerat, mortem subiuit, & communem nobiscum sortita est exitum, quæ commune nobiscum non habuit demeritum? claras, & faciles accipiat rationes. Primam vt Collyridianorum, de quibus suprà, & aliorum quorum meminit S. Tho. in 3. d. 4. qui ex diuersis capitibus eam dicebant immortalem, hæresis destrueretur, & quam mori videbant, eiusdem cum nostra crederent naturæ. Secundam, quam aliqui ex supra citatis Doctoribus assignarunt, vt suo filio assimilaretur, nec potior videretur mortis immunitate, quæ longe inferior erat fragilitate naturæ. Tertiam, ne careret mortis merito, eiusque augeretur merces in coelis, cui nec vltimum mortis meritum defuit in terris, nostramque

que paupertatem suis diuitijs sub-leuaret, reponendo in Ecclesiæ ærario tot ingentes suorum meritorum ex perpessis poenalitatibus thesauros. Tum demùm alteram, vt per mortem finem daret huius vitæ ærumnis, namque *ex hoc loco excessus*, vt inquit Chrisost. *liberatio est ab omnibus malis, & secura requies*. Alibi, *Migratio est domicilij, mutatio à deterioribus ad meliora, à terra ad cælum, ab hominibus ad Angelos, & Archangelos, atque adeò ad ipsum Archangelorum dominum*. Mariæ suam mortem veram fuisse requiem ex illis eius verbis *In omnibus requiem quæsiui*, agnoscit Guerricus Abbas, *dum in omnibus*, inquit, *suis actionibus requiem quæsiuit, sed in decessu demũ inuenit, cum post persecutionem Herodis, & fugam Aegypti, post tot insidias, & atrocitates Iudaicæ impietatis, post tot passiones suas de passione, & morte filij, postquàm tot, & tam*

Chrisost. in ps. 114.

Idem ho. ad viduã iuniorem

Guerric. ser. 3. de Assumpt.

*tam acerbi ipsius animam pertransierunt gladij, tandem ei dicere datum est: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Aliud etiam summum ei emolumentum attulit, vt eius potiretur præsens aspectu, cuius ardenti absens flagrabat desiderio. Hinc pia illa Damasceni exclamatio. *O præclarissimum excessum, qui hoc tibi affert, vt cum Deo præsens sis. Nam cum omnibus quoque alijs numine diuino afflatis Dei famulis, istud diuino munere concessum sit, at infinitum tamen Dei seruorum, ac matris discrimen est.* Vtiq; magnum discrimen; illi tanquàm famuli subtùs scabellum pedum Domini situlas infinitæ hauriunt gloriæ, oppressi à tanta magnitudinis claritate, hæc velut vniuersi regina astat à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate, & *indiuisum*, vt citatus habet Guerricus, *cum filio habet orbis imperium*

Psal. 114.

Damasc. orat.

Digitized by Google

*rium, quæ indiuiſum cum eo in carne vna, & ſpiritu vno habuit pietatis, & vnitatis myſterium, dum ſcilicet ſaluo honore naturæ, geminato munere gratiæ iuncta eſt mater in matrimonium.*

Hæc ſunt, quæ in huius ſententiæ confirmationem modo occurrunt, potiores poſſe ab alijs adduci rationes non dubito, meæ ſi non conuincant, ſaltem piè ſuadebunt: & ſi contentioſæ non ſuffecerint diſſertationi, non ignaræ nec præſumptuoſæ forſan ſufficient pietati. Neruoſiores autem iudicabuntur eneruatis contrarijs, quæ ſuperius c. 3. efformauimus argumentis.



Digitized by Google

*Diluuntur contrariæ difficultates.*
*Cap. VI.*

44 MOlestiores nullæ contrà nostram hãc sentẽtiam, se mihi obtulerũt obiectiones, ijs, quas supra congessi pro illorum opinione, qui sanctissimam Virginem in peccato volunt conceptam, & propterea supplicio mortis affectam. Neque hæ ipsæ adeò efficaciter hoc probant, vt facilem non habeant solutionem. Etenim licet primum argumentum efficax sit ad probandum ibi darí vel præcessisse culpam, vbi apparet & pœna, eaque consequentia partem sumpsit poenæ, ergo habet & culpæ, ex relatione & proportione quam habet poena ad culpam, legitima sit; & manifesta poena satis euidenter ostendat latentem culpam, vt aiunt Augustinus & Prosper

*Ad 1. argumentũ.*

ſper, āttamen id intelligendum eſt de poenā propriè dicta, quæ ſupplicium eſt, vel peccati vindicta, vt loquuntur Iuriſperiti, & docet D. Thomas 1. 2. q. 98. ar. 7. in corp. inter hanc enim & culpam, neceſſariam admittimus proportionem, proindeque validam illam eſſe dicimus conſequentiam, infligitur alicui poena, ſeu ſupplicium, ergo habuit culpam, nam huiuſmodi poena alicuius mali ſupplicium eſt, & poena, quæ eſt vindicta, alicuius peccati vltio eſt, ideoq; optimè dixit Proſper, quod ſocietas peccati conuincitur de communione ſupplicij, quia ex illa relatione morali ſeu proportione, quā recta conſtituit iuſtitia inter poenam & culpam, rectè deducitur à poſteriori, quod vbi illa adeſt, hæc aliquando præceſſit. At id primū eſt, quod nos negamus, Virginis mortem poenam fuiſſe ſeu ſupplicium, ſed pœnalitatem & cōditio-

nem asserimus destitutæ naturæ à Hæc vero nullam personalem præsupponit culpam, ac proinde inferri non potest nec probari à posteriori aliquando in Virgine extitisse peccatum. Illud ergo prius probandum erat, quod ad hoc aliud probandum assumitur, & tanquam certum supponitur, quo admisso, optime inferretur consequentia.

Obiectio. 45 Sed instabis, Augustinum, suósque discipulos illud pro certo supponere, vt mors propriè poena sit & supplicium pro peccato illatum, & ex hac indubitata suppositione confidenter & efficaciter contra Pelagianos eum argumentari, probareq; in omnibus hominibus dari peccatum originale, vel cum eo nasci; propter quod etiamsi aliud non perpetrassent, mortem meruissent. Vniuersale ergo & efficax his Doctoribus illud est argumentum: Paruuli moriuntur, ergo habuerunt peccatum; quia

cũ omnino & cõstanter supponant mortem in omnibus esse poenam & supplicium proprij, vel contracti peccati, etiam in paruulis in quibus commissionis esse non potuit, peccatum fuisse saltem inferunt originis, ita vt nemo in eorũ sententia subeat mortis suppliciũ, qui antea non habuit mali demeritũ, Cùm ergo æquè mors B. Virginem, ac alios homines inuaserit: & illa passa sit, quod in cæteris hominibus est. peccati supplicium: optimè inferri videtur, eam eisdem orginalẽ traxisse reatumq. Neque enim prædicti sancti Patres eam ab vniuersali illa regula exemerunt, quorum argumentum in vniuerso hominum genere eandem habet efficaciam.

46 Ego, vt verum fatear, eam ipsã intelligo esse ijs in locis horũ Patrũ sententiã, licet alijs in locis etiam doceant fideles, præcipuè iustos & Martyres, mori non in sup-

*Soluitur obiectio.*

supplicium peccati, sed vel in testimonium fidei, vel ob exercendam patientiam, aut ad augendum iustitiæ meritum, seu ad examen virtutis, vel deniq; propter Fidei fortitudinē, nē si remissis in baptismo peccatis, statim fierent fideles immortales, iudicarent infideles, nō ob aliud foelices esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent, & sic propter remouendam mortis molestiam plelicatius crederetur in Christum. Has rationes, hisq; similes assignat August. lib. 2. de peccat. merit. cap. 31. 33. & 34. & lib. 13. de ciuit. cap. 3. 4. 6. & 7. lib. 14. c. 3. epist. 28. tract. de vrbis excidio cap. 4. atque alibi sæpius.

47 Quidquid autem sit, siue putent mortem non semper inferri propter peccatum, siue indicent semper esse culpæ supplicium, quantumcunque aliæ interueniant rationes, vt innuit Augustinus

lib.

lib. 13. de ciuit. cap. 6. dicens: *in morte prè, fideliterque tolerata augeri meritum patientiæ, non tamen auferri vocabulum pœnæ*, & largiùs docet lib. 2. de Baptiſmo paruul. c. 34. & lib. de Trinit. c. 6. quod & ego probabilius inferri ex eius doctrina exiſtimem: quidquid (inquam) in hac re dicatur, illud ego audeam aſſerere locis illis adeò claris & vniuerſalibus, quibus abſque dubio aſſeritur mortem actualem peccati eſſe ſupplicium, non voluiſſe ſanctos illos Patres ſanctiſſimam Virginem comprehendere.

48. Non inane nec leue huius aſſertionis fundamẽtum eſt, quod ſub cæteris peccati ſupplicijs, & ſententijs illatis propter peccatũ, ( quarũ regulas æquè vniuerſales, atque has eademq; firmitate credendas conſtanter affirmant ) eam nequaquam includant. Egregius eſt ille apud Auguſtinum locus

*B. Virgo excipienda à regulis vniuerſalibus peccati.*

 lib.

lib. 2. de pecc. merit. c. 23. *Sic enim,* inquit, *ab eis transitum fecit in posteros ista lex* ( scilicet peccati ) *initium mortis, quemadmodum labor, quo cuncti homines laborant in terra quemadmodum in fœminis parturitio cum doloribus. Hæc enim cum de peccato arguerentur, Dei sententia meruerunt, quæ non in eis solis, sed etiam in successoribus eorum, in alijs magis, in alijs minus, tamen in omnibus videmus impleri.* Vbi duo expresse docet primum legem peccati eodẽ modo intulisse mortem & labores, ac parturitionem cum doloribus. Secundum legem hanc in omnibus impleri, à qua nec Virginem Mariam sanctus Doctor exemit. Et c. 33. ait, *nullum resistere illis verbis diuini libri, quæ posuit de labore hominum, & de parturitione mulieris cum dolore, nisi qui prorsus alienus à Fide catholica eiusdem litteris aduersatur.* Et lib. 2. de peccat. origin. contra Pela-

gium

gium & Cælestium c. 36. ait *se non inuenire sine dolore & gemitu parturientem, nec sine futura morte nascentem, & tamen secundum scripturarum sanctarum*, inquit, *veritatem gemitus parturientis, & mors hominis non fuissent, si peccatum non præcessisset*. Vniuersaliter ait hisce in locis omnes foeminas cum dolore parturire, & nullam se inuenire absq; huiusmodi dolorosa parturitione, & qui poenam hanc vniuersalem negaret, alienum esse à fide, & fidei litteris aduersari; nec tamen sanctum Doctorem sub vniuersalissima hac & rigorosa formula loquendi comprehendisse B. Virginem vllus sanæ mentis affirmabit. Cur ergo ab illa alia, in qua docet omnes mori in peccati vindictam, ab eodem Doctore non intelligatur exempta? Bene author illius tractatus de Assumpt. apud August. c. 4. postquam ostendit Virginem hanc à generalibus
poe-

poenarum sententijs prolatis in Euam excipiendam esse, subiunxit. *Non immeritò ergo excipitur à quibusdam generalibus vera æstimationa quam tanta seruat gratia & attollit dignitatis prerogatiua. Quantũ enim Christi potestas possit, mundi ostendit vniuersitas; quãtum gratiæ, Mariæ monstrat integritas, quæ sicut diuersa est à natura, ita diuersa est ab vsu. Quid ergo si tanta diuersitate eam dicimus humanæ sortis mortem subijsse, nec tamen eius vinculis retineri per quam Deus voluit nasci, & carnis substantiam communicare, numquid impiũ erit?* Profectò impium non erit asserere, eam naturæ soluisse debitum, non peccato stipendium, & dicere quod licet cum cœteris obierit, non tamen habuerit peccatum, propter quod obire deberet.

*Ad 2. argumentũ.* 49 Secundum argumẽtum quo probaretur Virginis mortem poenam fuisse contracti peccati, desum-

sumptum est à Dei iustitia, quæ cùm rectissima sit, nequaquàm permitteret innocuam puniri, neq; in quo nō offendit, affligi. Aliter manifestę arguēdus esset Deus iniustitię, qui pęnā infert, vbi nō fuit culpa; vel impotentiæ, qui iniustè patiētem ab iniquis tormentis non valet eripere. Vim argumenti ego agnosco in ceteris hominibus, vel ex eo maximè, quod magna, & irrefragabilis sit apud me Concilij Arausicani authoritas, quæ iniustitiā Deo dari definit, eum, qui solàm mortis poenam absq; præcedente culpa originali, in vniuersum genus humanum ab Adamo transijsse defenderet; superiori autem solutione, seu distinctione poenalitatis, & poenæ, sufficienter puto ab his nos liberari molestijs, negando Virgini inflictam esse poenam mortis, sed subijsse conditionem, aut poenalitatem naturæ.

Di-

50 Distinctionem hanc poenalitatis à poena simpliciter, & propriè dicta, admittit, & clarius docet D. Th. 1.2.q.87.a.7. vbi plura poenarum genera assignat, nimirum poenas propriè dictas, alias satisfactorias, alias medicinales. Quæ distinctio omninò necessaria est ad intelligenda plura loca sacræ Scripturæ, & ad saluandam multorum innocentiam, qui plures patiuntur ærumnas, poenosósq; defectus naturæ, vel ad Dei opera manifestanda, vel propter parentum peccatum, vel ob alia Dei secreta iudicia, quantumuis ipsi, qui hæc mala ferunt, à proprijs culpis verè sint immunes; nec non ad percipiendum quomodo quorundam corpora pluribus defectibus, vt inquit D. Thomas, subiaceant; quorumdam verò paucioribus, quamuis existente in omnibus æquali originali peccato. Suum etiam locum, & proprietatem habea-

*Varia poenarum species.*

D. Tho. ibid. qu. 85. art. 5. ad 1.

beat hæc distinctio poenalitatis, à poena propriè dicta, vel in ipso Domino Saluatore necesse est, qui plures sustinuit poenalitates naturæ, præter illas, quas pertulit in passione, quæ neque propriè, & simpliciter poenæ dicendæ sunt; quia hæ, inquit D. Th. habent ordinem ad propriam culpam, & vt supra diximus ex Augustino, pro peccato aliquo impenduntur. Et licet Christus omnes susceperit voluntariè pro nostris exoluendis peccatis, multæ illarum, veluti sitis, famis, fatigatio, aliæque huiusmodi ærumnę, adeò erant assumptæ naturæ mortalis conditiones, vt ei soli tribuendæ essent, dicendęque humani generis destituti, & spoliati donis iustitiæ originalis poenalitates, & veluti naturales miseriæ.

Indidem q. 87. ar. 7 corp.

51 Clara suppositione clarius hoc licebit intelligere. Etenim dato, quod nunc generaretur quispiam,

*Cœptus absq; peccato, in hoc rerum statu moreretur.*

piam,

piam, quem Deus seruaret immunem omninò à peccato originali; præseruaretq; ab omnibus actualibus; & gratia habituali; quantumuis magna, donaret, dum tamen naturam, quam à mortalibus accepit parentibus, sibi ipsi secundũ principia naturalia relinqueret nec dono aliquo interiori, vel exteriori adiumento præseruaret à morte, nonne tandem dissolutione sui corporis ille planè probaret, quod licet poenam simpliciter dictam ob sua non mereretur peccata, tamen poenalitatem sentiret naturæ destitutæ primigenijs illis donis in ipsa creatione concessis? Clarè hoc docet D. Tho. in 3. d. 16. q. 1. a. 1. & 2. in corp. cui irrefragabilem ex Augustino subijcio rationem. *Non enim*, inquit, *aliud ex primis parentibus, quam quod ipsi fuerant, nasceretur, pro magnitudine quippe culpa illius naturam damnatio mutauit in peius, ut quod*

Aug. lib. 13. de ciuit. c. 8.

*pa-*

*pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris. Quod namque est parens homo, hoc est & proles homo.* Cum ergo parentes essent mortales, filius hic quantumuis innocens, moreretur.

52 Quod si quispiam adhuc negaret, quod negare non potest, hominem hunc absque culpa moriturum, nec suppositionem velit admittere; omninò admittendam ostendo ex ipsa Christi mortalitate, & Augustini doctrina. Quam innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus fuerit Christus, qui argui non potuit de peccato, nec peccatum fecit, aut habuit, nemini qui Christum fatetur ignorare, aut negare licebit, & tamen *domini, domini exitus mortis*; seu, vt explicat Augustinus, *domini nostri exitus non alius, quam mortis fuit. Filius etenim*, vt habet Athanasius *sui serui, id est Adæ, effectus*

*Christus mortalis.* Psal. 67.

Psal. 67. August. Ibidem.



Digitized by Google

*fectus, accepit mortalem hominem putrem, & proinde mortem gustat.* Et sermone 4. contra Arrianos longe post medium. *Corpus putrefactile, & mortale assumpsit; Maria enim mortalis fuit, unde corporis naturam suam accepit, ac proinde fieri non poterat, quin cum esset in corpore patiente, lachrymante, fatiscente sibi quoque una cum corpore ea dicerentur accidere, quæ propria sunt solius carnis.* A patre ergo mortali, id est ab Adamo (qui Christi dicitur pater, non quod eum continuerit, vt reliquos homines, in seminio, sed quia totius generis humani, & B. Virginis, à qua Christus sola Dei operante virtute, processit, vere fuit seminarium, & pater) & matre etiam mortali mortalitatem accepit; ab illo, quia fecit vt tolleretur à carne, per quod redderetur immortalis; ab ista, quia qualem illa accepit, filio communicauit natu-

Athan. de incar nat. Christi parum post initium.

ram,

Digitized by Google

ram, morti, & poenalitatibus obnoxiam.

53 At dices mortē, & cęteras poenalitates Christum non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate subijsse; etenim *oblatus est, quia voluit*, & quæ non rapuit, magna miseratione soluenda suscepit. *Mors ergo in domino*, inquit Aug. *munus misericordiæ erat, non pœnà peccati*. Hanc itaq; propria sponte suscepit, vt qui sponte ceciderunt, erigerentur a malis, à quibus sola Christi passione poterant liberari. Dispar proinde omninò est ratio inter Christum propter nostra peccata morientem, & cęteros homines proprias culpas dura, & ineuitabili morte luentes, neque quod sponte suscipitur, in exemplum adduci potest illius, quod iustè inuitis infligitur. Obiectio. Isai. 53. Aug. tractat. 3. in c. 1. Ioan.

54 Verum, ac planè certum est, Christum non moriturum, nisi vellet, nec mortuum esse nisi ad Soluitur.

 delen-

Digitized by Google

delenda nostra peccata; attamen si redemptoris munus non exerceret, nec secum statueret pro nostris mori peccatis, dummodo tamen ei, quam omnes ab Adamo trahimus, mortali naturæ communicare vellet, si eam dono aliquo, vel dote superaddita non præueniret, ne moreretur, sua corruptione absq; dubio tandem naturali dissolutione periret. Ita apertè docet Aug. lib. 13. de ciuit. c. 23. dum ait Christum *tale habuisse corpus, quale necessitatem habebat moriendi*; & expressius lib. 2. de peccatorum meritis c. 29. *Quia in eo*, inquit, *erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, vt ad mortem videatur etiam senescendo illa caro peruenire potuisse, nisi iuuenis fuisset occisus*. Quod etiam docent asseueranter D. Thomas citatus a. 2. Scot. in 3. d. 16. q. 2. (licet oscitanter Petrus Cabrera

*Christus si non occideretur, senio moreretur.*

Cabrera in 3. p. q. 14 in cōment. ad art. 2.

eum

retum singulariter (contrariæ dicat esse sententiæ hoc ipso in loco) & Duran. ibidem q. 1. nec non cęteri Scholastici dicentes Christum habuisse naturalem necessitatem moriendi supposito, quod non redundauerit animæ gloria in corpus, neque aliud ei superaddiderit donum, per quod fieret immortale. Quisquis ergo, vt antea supposuimus, descenderet ab Adamo, tametsi peccatum non haberet, mortem sentiret, essetq; ei obitus non poena proprij peccati, sed pęnalitas acceptæ naturæ. Non igitur ex morte B. Virginis sufficienter probatur habuisse peccatum, neq; Deus argui poterit iniustitiæ, quia innocuam mori permisit, cui ex propriç conditione naturç mors superuenit. Vide Suar. to. 1 in 3. par. dis. 38. sect. 1.

55 Facilè tamen obijcetur hac responsione elidi vim argumenti, quo vsi sunt sancti Patres aduersus Pelagianos, & ex hac no- *Alia obiectio.*



Digitized by Google

ſtra doctrina ſequi eos ineſſicaciter ex infantulorum morte probaſſe, dari in eis peccatum originale, dum eodem modo, quo nos reſpōdemus pro B. Virgine, Pelagianis liceret reſpondere pro cęteris hominibus. Proculdubio ſi par omnium eſſet ratio, & æqua fieret cęterorum cum Maria comparatio, aliquid moleſtiæ inferret obiectio. At quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, quæ creaturas ſupergreditur vniuerſas, quæ Sanctorum choros vincit pietate, & Angelos ſuperat puritate, quomodo in exemplum poſſit adduci? aut cur ea, quæ illi iuſtè tribuuntur, non poſſint cæteris, quantumuis ſupremis, hominibus iuſtè negari? Nouum, inuſitatum, mirũ, & in magnis ſignis computandum quidquid in Maria (quæ vel in ipſo coelo, vbi res magnæ, & ſingulares non adeò prodigioſæ reputantur, ſignum magnum apparuit)

*Soluitur.*

Apoc. 12.

acci-

accidit præclarum, & (vt in simili materia dixit Augustinus) *in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humana trahēdum est exemplum naturæ.* An ex priuilegio, & speciali gracia alicui concessa, benè argumétatur ad omnes? an illud, quod specialis affirmatur prærogatiuæ, vniuersaliter, & absque delectu cunctis largiri licebit? Da mihi aliam Dei Genitricē, & eam absque peccato conceptam, atque extra peccati vsuram mortuam audenter affirmabo. Da mihi aliam Mariæ similem, idque ipsum, quod Mariæ, absque vllo timore concedam. Quòd si *non est similis ei nata in mundo*, vt candidè & piè dixit S. Franciscus, noster institutor, & sola sine exēplo placuit altissimo, ac de suis visceribus genuit Deum & hominem, quid mirum, si negemus vniuersis, quod soli concedimus Mariæ? Sola Maria gratia plena denunciatur ab Angelo, *per*

August. epist. 57. ad Dardā post med.

S. Franciscus orat. 1. de B. Virgine.

Fulgen. ser. de laudibus Mariæ.

*quod ostendit*, inquit Fulgentius, *ex integro iram exclusam primæ sententiæ*, videlicet, quia nec culpæ contagium attraxit, nec peccati poenam admisit. Reliquos omnes suos posteros primi parentes obnoxios peccato mortique produxerunt, qui contagioso suo in vitam introitu, poenæ supplicium mereantur in exitu; at Maria communem omnibus non habuit culpam, licet communem senserit mortem; in conceptu immunis à culpa, in morte longinqua fuit à supplicio. Nulli profectò mirum videbitur, quod quę cęteris fuit maior in donis, hoc præ cęteris sortiatur priuilegium. Moriuntur cæteri ob peccatum, quod contrahunt; moritur Maria ob qualitatem eius, quam accepit, naturæ.

*Ad 3. argumentū.*

56 Tertium argumentum eò tendit, vt probet solum mediatorem Dei & hominum, Christum Iesum absque meritis mortis mor-

tem sensisse, & præter Christum omnes suo, non alieno mori peccato; illum autem non suo, sed nostro occubuisse delicto; ac proinde rectè inferri Mariam propter suũ, quod habuit, etsi non fecit, obijsse, peccatum. Verumtamen huic argumento satisfit abundè, si consideremus cum quibus congrediebantur Augustinus, Prosper, & illi Græci Patres, quorum doctrina in argumento profertur. Etenim cũ Pelagianis agendum erat, qui omnino gratiam Christi & peccatum originale euacuabant. Vtrumque vt neruosè probarent orthodoxi Patres, omnium hominum mortem poenam dixerunt contracti peccati, & solam Christi mortem innocuam fuisse, vt nostras tolleret mortes, mederetur & malis: per quod ostenderent hominum nullũ absque peccato conceptum, nec absque Christi gratia regeneratũ. Neque tunc expediebat, aut opor-

rebat vllum ab vniuersali hoc ex-cipi fundamento, ne si demerent quempiam, eadem ratione Pelagiani excipiendos dicerent & cæteros. Mos hic semper fuit sanctorum Patrum, eorumq; qui probè aut doctè argumentantur, nihil interponere, quod eorum intentionem non possit promouere, aut aliquam præbeat ansam subterfugij.

*SS. Patres aliquãdo excessiuè, aliquãdo diminutè loculi.* Baron. ad art. 48.

57 Rigorosius etiam aliquando loquuntur, quàm velint; dum ardentiori studio (vt adnotauit eruditè Illustriss. Card. Baronius) in hostes inuehuntur, vehementiori impetu in contrariam partẽ aguntur, itaut lineam veritatis aliquantulum transgressi videantur. Plus dicunt, inquit Bonau. & minus volunt intelligi. Sicut enim in moribus, qui ab vno extremo conatur recedere, ad aliud deflectit, vt tandem ad medium accedat, vt docuit Philosophus, velutì solent ij, qui ligna obliqua ad rectitudinem re-

Bonauentura in 2 d. 32. a. 3. q. 1. ad 2. Arist. 2. Ethic. c. 9

di-

diguntː ita Sancti Patres, inquit Scotus, vt extinguerent pullulantes hæreses, frequenter excessiuè locuti sunt, volentes declinare ad aliud extremum. Similem assignat solutionem ad quædam Aug. loca de pęnis paruulorũ absq; baptismo decedentium, D. Tho. de malo q. 5. ar. 2. ad 1. eamque largius probat vir pius Ioan. Echius in suo Chrysopasso de prædestin. centur. 3. n. 92.

Scot. in 2 d. 33. q. vn. ad 1.

58 Et profecto ita re ipsa esse, seueriusque aliquando, quàm aliàs absque hæresium molestia, expediret, loquutos fuisse Sanctos Doctores ipse docet Augustinus, dum postea sopitis erroribus plura retractauerit, vel amplius declarauerit. quæ dum cum hæreticis congrederetur, durius vel obscurius asseruit. In libris de libero arbitrio contra Manicheos, qui immutabilem quandam & Deo coæternam introducebant mali naturam, cum nihil de gratia Dei loquere-



Digitized by Google

tur, tot ac tanta se dixisse de ipso libero arbitrio ac voluntatis potestate, ad quam omne malum reducendum docebat, ipse commemorat lib. 1. retract. c. 9. vt necessariũ duxerit largius ostẽdere, quod Pelagianorum (qui iam tunc quando cum Manichæis ei res erat, non erant exorti) causam non egerit: *quia*, inquit, *ipse multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat*. Et infra paulo post fatetur quædã ex eis, quæ contra Manichæos dixit, Pelagium pro sua hæresi stabilienda citasse *& putasse Pelagianos, vel putare potuisse, eum illorum tenuisse sententiam*. Et lib. 1. de Genesi contra Manichæos c. 5. dixit omnes homines posse si velint Deo credere, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad eius præcepta implenda cõuertere, nec tamen tunc dixit, ad hoc præparari volũtatem à Deo, & opus hoc bo-

num

rum à Dei prouenire auxilio, *quoniam præsenti*, vt inquit ipse c. 10. libri primi retractat: *necessarium non erat quæstioni*, proptereaque suam mentem iudicauit explicandam, ne existimarent noui hæretici Pelagiani secundùm eos illud esse dictum. Alium etiam locum libri de duabus animabus ait ipse eod. lib. retract. c. 15. posse putare Pelagianos pro se scriptum esse, à qua suspicione se purgat ibidem.

59 Præterea vt adnotauit Echius citatus, in libris contrà Iulianum, & de gratia & libero arbitrio, adeo acriter inuehitur contra hæresim, quæ ex puris naturalibus credidit hominem posse mereri vitam æternam, vt vsque adeo declinet ad aliam partem, vt videatur ostendere omnem infidelium vitam peccatum esse. Cuius verba nude intellecta errandi præbuerũt occasionem Gregorio Ariminen. vt in 2. distinct. 28. dice-

ret

ret eleemosinam ex naturali pietate præstitam ab infideli, peccatum esse; & si subueniret etiam ex visceribus misericordiæ parenti pauperi & inopi, identidem peccatum esse. Similiter deceptus est Dionys. Cisterciens. in 2.d.17. dum ait, dicentes Horas Canonicas absque charitate peccare.

60 Plura huiusmodi obseruare licebit apud antiquos fidei antagonistas, qui vt aduersarios fidei debellarent, vniuersales statuebant regulas, absolutosque suæ doctrinæ canones, quos proculdubio aliquando pati exceptiones probè norunt; nec incidentibus quæstionibus se implicare volebant, nè aduersarijs diuerticula, aut tergiuersandi præberent ansam, vel de alijs rebus immixta, seu inserta disputatione controuersias principales facerent interminabiles. Itaque sæpius fassus est August. sed præcipuè lib. 1. re-

tract.

tract. cap. 9. loquens de libris supra relatis de libero arbitrio contra Manichæos. *In his, inquit, libris multa ita disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas, enodare non poteram, vel longam sermocinationem requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat, quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus.* Non immeritò proinde docuit Scotus citatus, quod multum ponderandum est contrà quos hæreticos locuti sunt sancti, nam ex hæresi opposita, quam impugnabant, facilè deduci poterit ratio, quare accessoriam aliquam quæstionem non discusserint, aut plura, quæ clarius explicanda vel excipienda erant, consulto tacuerint, & in commodiorem locum

ocea-

occasionemque distulerint.

61. Cum igitur quicquid de vniuersali cõtractione peccati originalis, eiusque effectibus, aut pœnis consequentibus, statuerunt sancti Patres, contra eos scripserint, qui peccatum originale in vniuersum negabant, nec adeo læsam, aut deprauatam dicebant naturã; quin suis viribus, & absque speciali Christi gratia regnum æternum homines consequi possent, nihilque opus esset, nec *illorum* iuuaret causam, vt alicuius fieret exceptio à pestifera hac tabe, qua omnes in conceptu infici secũdùm fidem docuerant Catholicam, de præseruatione Virginis & Immaculata eius Conceptione tacuerunt. Vt quid enim vbi nihil opus erat, in nouas se conijcerent angustias, & largiorem texerent disputationem de quæstione, cuius resolutio nihil suæ fauebat causæ, nec prætermissio nocebat? Vt quid

con-

contra hæreticos probantibus, & constituentibus in vniuerso hominum genere peccatum originale, in quopiam illud negarent, dum de illo ipso non interrogarentur, aut illud decidi ipsa non expostularet disputatio? Vt primùm à Pelagio factum est de Virgine Verbum, diceretur que *eam sine peccato confiteri necesse esse pietati*, statim arrepta occasione Augustinus eam indefinitè omni ex parte vicisse peccatum confirmauit; nihil amplius declarans circa ipsum genus peccati, quam suis verbis antea concessit Pelagius. Quod aduersarius in argumento volebat, id Augustinus in responsione firmius stabiliuit, nec peccata, de quibus intelligendus erat, distinxit, nec conceptum à cętera vita separauit, ne mendicata occasione ex clariori explicatione, & ablegatione expressa peccati originalis, à principali intento

Aug. l. de rat. & gratia c. 32.

de

de ostendenda gratiæ Christi necessitate, facile dilaberentur ad incidentes quæstiones largius indagandas, quas alias absque causæ præiudicio prætermitti liceret. Similiter in hac assertione vniuersali de morte omnium in pœnam proprij peccati, differendum est, quod probantibus ex morte corporali peccatum infantum non expediebat, nec opus erat docere cum plena innocentia in sacratissima Virgine compati mortem, aut quempiam preter Christum absq; meritis mortis mortem sentire. Proinde quantumuis rigorosè locuti sunt propter hæreticos, non absurde, nec temerè iudicare licebit B. Virginem ex eorum sententia ab vniuersali illa assertione fore excipiendam; præsertim cum in locis illis superius citatis firmiter asserant de fide esse nullum preter Christum mori absque peccato, seu merito mortis, nec tamen

men de fide fit Mariam vllum habuisse peccatum, imò ita asserere sit temerarium, & erroneum ex declarationibus Pontificijs.

62 Vrgere verò videtur plus cęteris argumentis ille expressus, quem citauimus, Augustini locus, quo absque vllo dubio asseuerat Mariam mortuam propter peccatum, quo constanter statuto, & probato, vanum esse, quem in eludendis argumentis hucusque posuimus, laborem, quispiam contendet, dum ex hoc vno loco possint omnes, quas hucusque assignauimus, solutiones elidi. Verum ego mihi persuadeo, cęterisque me persuasurum spero, hęc Augustini verba nostræ non aduersari sententiæ, & nihil minus per ea voluisse sanctum Doctorem, quam vt sacratissima Virgo obierit propter peccatum, quod illa aliquando habuerit. Duplex est huius loci solutio; vna Anselmi,

*Ad quartum argumentum.*



Digitized by Google

mi, vel Authoris commentariorum ad epiſtolas Pauli, qui inter eius opera circumferuntur, in caput 8. epiſt. ad Romanos, ad illa verba *de peccato damnauit peccatum in carne*, vbi locum hunc Auguſtini ita tranſcripſit. *Maria ex Adam mortua propter peccatum, niſi diuinitus exempta fuiſſet, & caro Domini ex Maria mortua &c.* Vbi ſub cõditione intelligendum vult Auguſtinum, nimirum Virginem ſacratiſſimam ex ſe, & ex ſua natura contracturam originale peccatum ex Adam, propter quod iuſtè moreretur, niſi per Dei potentiam exempta fuiſſet à lege vniuerſali contractionis, & pęnæ neceſſario conſequentis.

*Secunda ſolutio.* 63 Secundam ego adhibeo expoſitionem conſequenter ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, quam ſemper huius loci genuinam eſſe intellexi, nimirum vt Maria verè dicatur mortua propter peccatum,



Digitized by Google

vt Augustinus asserit, sed ad eum sensum, quem posuimus, vt peccatum fuerit causa mortalitatis acceptę à parentibus mortalis naturæ, non tamen peccatum suum; sed primum illud Adami, fons omnis nostræ miseriæ. Iuuant hanc, & veluti suggerunt explicationem ipsa Augustini verba; nam cum vellet probare Christi mortem ideo dici ab Apostolo peccatum, quia carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato, subiunxit; *Maria ex Adam mortua propter peccatum*. Non dixit absolutè Mariam mortuam, sed *ex Adam mortuam*, quasi velit causam mortis Vigineæ in Adam refundendam; & non suo tribuendam peccato, sed illi Adami, propter quod tota massa mortem meruerat, dum demeruit illis frui bonis, per quæ præseruaretur à morte. Similiter non dixit carnem Christi absolutè



Digitized by Google

mortuam, ſed carnem Chriſti *ex Maria mortuam*, ſignificans illam ipſam mortem, quæ ſuæ euenit carni, vt noſtra deleret peccata, à Maria habuiſſe principium. Nam, vt ſupra docuimus, illa eum ſua veſtiuit carne, & talem contulit, qualem ipſa habebat, mortalem, paſſibilem, & quæ neceſſitatem mortis habebat, niſi dono aliquo præſeruaretur à morte. Circumſpectiſſimis certè & pręmeditatis his formulis loquendi innuit ſapientiſſimus Magiſter Mariæ mortem in Adam, & Chriſti in Mariam referendam, quippe ille naturæ neceſſitatem intulit moriendi, hæc verò immortalem mortali carne contexit.

64 Confirmant etiam hunc ſenſum plures codices antiqui, in quibus ita legitur hic locus; *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ*, non quia peccauerit in Adamo (vt quidam ex tu-



Digitized by Google

telaribus Conceptionis immaculatæ, quorum expositionem seu sententiam iam supra refellimus, senserunt) sed quia peccatum Adæ vere fuit causa vt moreretur Beata Virgo ad modum iam explicatum. Quo etiam pacto eisdemque verbis possemus dicere, Christus ex Adam mortuus est propter peccatum, non solum vt præpositio *propter* significat causam finalem, videlicet quod Christus mortuus sit propter delendum peccatum, verum vt etiam significat causam efficientem, quia *mors Christi*, vt ait eodem loco Augustinus, *non est nisi de peccato, & proinde dicitur ab Apostolo ipsum peccatum, quia facta est peccato, quomodo dicitur lingua Græca, lingua Latina, non ipsum membrum carnis, sed quod fit per membrum carnis*. Cum ergo Christus Dominus non aliam assumpserit carnem, quàm *hanc ipsam*, vt in-

Chrisost. hom. 13. in cap. 8. ad Rom.

quit Chrysostom. *afflictam, laboribusque confectam*, & ex peccato hæc prouenerit miseria, quam etiam absq; peccato voluit Christus pati, optimè potest dici mortuus propter peccatum. Hos autem habere sensus præpositionem hanc *propter* docet D. Thomas de potentia q.5. art.5. ad 3. Atq; ipse Augustini locus insinuat, dum Adamum, & Mariam propter peccatum, tanquam per causam efficientem (quam talem lato modo vocamus, vt superius adnotauimus) mortuos dicat, & Christum propter delenda peccata. Quapropter mortuam admittimus Mariã propter peccatum Adæ, tanquam per causam mortalitatis humanæ, non propter aliquod suum, propter quod puniri deberet: quo etiam modo Christum mortuum liceret dicere propter peccatum, quia, vt inquit Beda; *Mors Christi est effectus, & pœna illius peccati,*

Beda in psalm. 34 vers. 16.

*quod*

*quod Adam perpetrauit.*

65 Sed non contemnendum se offert dubium, quid per varias has partitiones, diuersasq; assignatas personas voluit insinuare Augustinus? Etenim dum Adami, Mariæ, & Christi mortes adduxit præ cęteris in exemplum, quispiam iudicabit eum voluisse docere, & breuiter recensere omnia mortis genera, vel causas omnes, à quibus procedat; adeoque voluisse dicere Adam mortuum propter peccatum actuale, Mariam propter originale, & Christum sua voluntate; neque enim alia est præter has; causa, propter quam mors incurratur. Verum enim verò Augustinum causas mortis distinctasque hominum exitus indicasse, mihi est in confesso, differentiam tamen ita constituendam iudicarim; vt in Adamo posuerit peccatorum exemplum, qui verè habent, vel originale, vel actuale peccatum, *Dubium.* *Dubii solutio.*



Digitized by Google

propter quod mortem mereantur, ſicut Adamus propter ſuum actuale, quod poſterorum futurum erat originale, mortuus eſt. In Maria autem ſignificarit mortem ex ipſa conſtitutione deſtitutæ naturæ neceſſariò ſequendam, quantumcumque non ineſſet peccatum. In Chriſto verò mortem volūtariè, & ſponte ſuſceptam. Superiorem autem explicationem verborum Auguſtini probant viri docti ſuperius citati, & mihi omninò conformior videtur menti, & doctrinæ Sancti Doctoris, & facilior ad elidendas omnes aduerſariorum obiectiones.

Angel. & Lezana cit. c. 5. Cord. q. 44. §. alio modo, & alij.

*Reſpondetur ad Bonauēturæ argumentum.*

66 Vltimò ad Bonauenturæ respondemus argumentum ſacratiſſimam Virginem meritum, aut reatum mortis (qui ſecundum Auguſtinum *apparet in motu carnis non voluntario, quamuis voluntate ſuperando*, qualis nunquam fuit in Virgine) nequaquam habuiſſe,

Auguſt. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 18.

neq;

neq; iniustitiam ei factam in morte perpessa, vt supra largius probauimus, neque dispensatiuè pro salute humani generis mortuam, quod nullus ausit affirmare, sed naturæ fragilitati cessisse, ad modum, quo supra explicatum est. Bonauentura autem ex morte, tanquam ex poena, peccati, quod aliquando infuerit, voluit probare sacratissimam Virginem in peccato conceptam. Quam sententiam tunc amplectebatur adhuc adolescentioris ætatis, dum scripsit in Magistrum a, circa trigesimum suæ ætatis annum. Aliter tamen, prouectioris ætatis, & maioris litteraturæ factus, sensit, nam sæpius, & clarius D. Virginem à peccato isto voluit immunē. Nulli hoc esset dubium, nisi quidam dubium esse putaret in margine ipsius sermonis, & in præfatione ad lectorem, an sermo secundus de B. Virgine, qui inter sermones

a Octau. à Mart. Petrus Galesin. Maurit. Bresſius. Pisan. & alij in eius vita Anton. 3. p. tit. 24. c. 8.



Digitized by Google

communes ad finem tomi 3. circumfertur; huius sancti Doctoris esse dicendus sit. Ibi enim absq; vlla ambiguitate, & data opera terminis Theologicis, & pijs rationibus contendit sanctus Doctor sacratissimæ Virginis Conceptionem fuisse immaculatam. At qui præcedit, & qui sequitur, primus & tertius, secundum hunc sermonem eiusdem esse sancti Doctoris omnino probant, dum firmissimo nexu inter se cohærent, apertisque sequelis eiusdem doctrinæ. Ne vero de ipsius Doctoris mente vacillare deinceps libeat, aliud minime dubium exhibeo eiusdem testimonium ex opusculo contēplationis, quod ante finem tomi Sexti videre est, in quo varias meditationes per singulas hebdomadæ ferias per flores, & fructus distribuit. In meditatione feriæ secundæ ad Nonam ita habet.

Flos

## Flos Quintus

*Iesus promotor prouidus materna dignitatis.*

### Ad Nonam tres fructus attende.

*Mariæ mirabilem Conceptionem absque inquinatione,*
*Puellæ mirabilem educationem, in templum oblatione.*
*Virginis mirabilem desponsationem, Ioseph copulatione.*

Insuper in vetusto codice, sermonum Sancti Doctoris ante centum annos excuso in sermone Annunciationis ita habet. *O quam ergo gloriosa est domina, quæ culpa caruit, vniuersaliter intellige & de actuali, & de originali.*

67 Cum igitur Sanctus Doctor eius fuerit maturiori ætate, sen-

ſententiæ, vt peccatum originale nequaquã contraxerit Virgo Deipara, plane ſequitur, vt iam non in poenam peccati eam ſubijſſe mortem conſequenter intellexerit. Neque in hac eius poſteriori ſententia, illa mors vllatenus poena ſecundum propriam poenę acceptionem, dicenda eſt, cum ipſe in lib. 2. ſent. d. 36. a. 2. q. 2. doceat huiuſmodi poenas nõ infligi abſq; eo quod præceſſerit culpa. Cum igitur tã apertè locis proxime citatis ipſe neget vllum in B. V. pręextitiſſe demeritum culpæ, conſequenter negabit eius mortem rationem perſonalis habuiſſe ſupplicij. Admittet tamen facile pęnam eſſe totius naturę, ob primam illam primi hominis inobedientiam, vniuerſalemque omniũ in vno condemnationem, *qui ita fuit morte mulctatus, vt etiam quidquid eius ſtirpe eſſet exortum, eadem poena teneretur obnoxium*. Hac ra-

Aug. 13. de ciuit. cap. 3.

tione

tione Mariæ mors poena peccati, est, quia illius primi poena peccati, nam quod sine illo peccato nullatenus esset, illius peccati non improprie poterit dici supplicium. Eadē ratione etiam Christi mors à Beda supra citato, alijsque Sanctis patribus, poena dicitur illius peccati, quia sine illo non esset. Licet etenim natura sit per se caussa corruptionis, non careret, quo præseruaretur à corruptione, nisi in ipsa naturę radice culpa prępiret. Causa est per accidens, inquit S. Thom. mortis peccatum, quia remouens prohibens, quo remoto naturales suos patitur necessario natura defectus, & quo nō remoto nullos sentiret. Egregie Augustinus, postquam disseruit de multiplicatis doloribus, & ærumnis mulierum, & partum in dolore dixit esse poenam peccati, subiunxit. *Nam vt in pecoribus fœmina cum doloribus pariunt filios,* Tho 1.2. q.45.a.5. Aug. de Genes. cō tra Manic. c.19.

&

Digitized by Google

*& hæc est in illis mortalitatis conditio, potius quam pœna peccati. Potest ergo fieri ut etiam in fœminis hominibus mortalium corporum sit ista conditio; sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt.* Similiter quantumcũque in B. Virgine mors destitutæ fuerit conditio naturæ, poenalitas, seu pęna dicetur, non proprię culpę sed illius primæuæ, qua duo illi primi nostri generis authores *in nos, & insemetipsos* vt inquit Tertull. *homicidium commiserunt, excidendo de immortalitate.*

Tertul. l. adu. Iudęos c. 20

***

EPILO-

# EPILOGVS.

HAec igitur noſtri diſcurſus ſumma, & compendium eſt, vt primi parentes ex principijs corruptibilibus conſtituti, à corruptione tamen per lignum vitæ præſeruandi, mortales euaſerint per culpam, iuſtiſſima ſeparatione à vitali edulio, perdendo illud, per quod in immortalitate perſiſterent. Per eos mortales factos mors intrauit in orbem terrarum, & quam ipſi paſſuri erant, in omnes, qui communi concubitu ex ijs deſcendunt, cum illius peccati reatu, etiam hanc peccati poenam transfundunt. Solam ſacratiſſimam Dei Genitricem eximendam iudicamus à prima transfuſione, & vniuerſali illa communione peccati, quam Deus pijſſima, & conuenientiſſima miſerationis ſuę gratia præuenit, ne communi ta-

be

Digitized by Google

be inficeretur. Mortem tamen incurrit ob naturæ destitutæ fragilem constitutionem. Neque enim iam erat, per quod quispiam in mortali natura, à mortalibus parentibus accepta, liberaretur à morte. Poenalitas ergo naturæ mors fuit in B. Virgine, & primi sequela peccati, non proprij, quem aliquando habuerit, poena reatus, ita vt quantumcumque non haberet, quod Deus, vt in cęteris hominibus, vendicaret per mortem, habuit tamen per quam necessariò moreretur, communem omnibus naturam. Cęteri tamen hominum, qui dumtaxat homines sunt, nullo excepto, non solum habuerunt illam caducam naturæ conditionem, per quam ducerentur ad interitum, verum etiam contraxerunt de facto, per quod si nulla alia esset corruptionis origo, iustè punirentur per mortem. Priuilegium est Virginis singulare



Digitized by Google

re, vt moreretur, licet necessario, absque proprio merito mortis; prærogatiua est naturalis Christi Saluatoris, vt mortem, sed propria sponte, sentiret, qui non pro suis satisfacere, sed nostra venit delere peccata. Communis fuit matris, & filij foelicitas, quod alieni essent ab omni peccato, vt vel ipse D. Tho. expresso, qui mihi nuper occurrit, loco testatur, dicens: *In Christo, & Maria nulla omnino macula fuit*; sed hoc fęlicitatis discrimine, vt ille non potuerit, hæc potuerit habere. In morte etiam absq; peccato similes, ita tamen vt eam, si ille vellet, posset: hęc, etsi vellet; nequaquam posset euadere. D.Th. in Ps.14.

Longiori forsan ratiocinatione, quam sperabat, qui præcepit, vt scriberem, illius desiderio satisfeci, inde tamen veniam expectans, quod illi respondebam, qui de re tanta, quam multa dici possent,

debe-

Digitized by Google

deberentque, nequaquam nesciret. Noui etiam domesticæ consuetudinis licentia alterum illum Nebridium, Augustino charum, *qui valde oderat de quæstione magna responsionem breuem*. Ego quam iudicaui necessariam, huic quæstioni, non vulgari, adhibui, & planè existimo, quod quantum attinet ad aliquos, non satis adhuc dixi, quantum ad alios plus fortè, quam sat est. Altius petenda fuit dubiæ quæstionis origo, & ad diuina decreta, hominisque primæuam constitutionem recurrendum, & multa erant sæpius, vel in quæstionis assertione, vel in argumentorum solutione, rerumue grauiorum incidenter occurrentium clariori explicatione, repetenda, atque inde prolixior factus sum, vnde desideraui clarior haberi. Iudicaui etenim secundum Athanasij mentem omnino expedire, quod *ubi de numinis decretis placitisque men-*

Vide August. ep. 23. ante fin.

Athanas. lib. de incar. Verbi post med.

*mentio fit, ibi longiore interpretatione vtamur, ne quid omittatur, quod omissum nobis in culpam cedat, si non plene rem ipsam eloquamur. Melius est etiam sæpius iterata sententia crimen sustinere, quam aliquid eorum prætermittere, quæ enarrari debuerant.* Feci quod potui, respondi quod sentio, sed quam insufficienter agnosco, lectoris erit ignoscere, & quę minus rectè dixi, benignè corrigere.

*Beata Virgo præ amore, & sine dolore mortua est.*
Albert. Magn. in Mariali.



Digitized by Google







R O M AE,

Typis Nicolaiangeli Tinassij.

M. DC. LV.



*Superiorum permissu.*



35

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google